A & repugnare conati, præda omni captivíſque relictis, in fugam ſe dederunt. *Iovius in Camillo.*

PAUCITATE AUXILIORUM, VIRES; DISSIMULANDO, EXERCITUM minorem ſimulando.

Agathocles in Africa filio Archagato ſuppetias ferre volens, bellum quod in initio gerebatur, adminiſtrandum ducibus Leptinenſibus committit. ipſe adornatis navibus XVII. navigandi opportunitatem exſpectat, Carthaginenſibus cum 30. navibus inſequentibus. Eodem ſanè tempore ex Tyrrhenia octodecim ei naves auxiliares appulerunt, ac noctu clàm Carthaginenſibus in portum Syracuſanum delatæ ſunt. Agathocles hanc rei gerendæ occaſionem nactus, ſocios, ut ſe tantiſper contineant, monet, dum egreſſus Carthaginenſes ad perſequendum pelliciat. Ipſe quemadmodum convenerat, ex portu cum XIIX. navibus confeſtim ſolvit: hoſtes perſequuntur. Agathocles ubi Tyrrhenos portum reliquiſſe videt, extemplò naves convertit, & inſtructa acie cum barbaris navali prælio B dimicat. Carthaginenſes ob rei novitatem, & quòd triremes eorum in medio hoſtium deprehendebantur, attoniti terga dant. Græci quinque navibus cum ipſis hominibus potiuntur: ipſe hoſtium dux jamjam capienda prætoria nave ſibiipſi manus infert, mortem ſervitute imminente potiorem ducens. Itaque Agathocles nunquam ſe Carthaginenſibus in mari ſuperiorem fore ſperans, præter omnium opinionem eos navali pugna devicit, ac in poſterum imperium maris obtinens, mercatoribus ſecurum iter reddidit. *Diod. lib. 20.*

Chabrias, cum naves Laconicæ ſpeculatrices duodecim appuliſſent, neque ampliùs auderent ſolvere: ſic eas, ut ſolverent, elicuit. Naves duodecim binas & binas conjunxit, duarum vela in unam contrahens. Hoſtes iis contemptis, quaſi adverſus ſex, ipſi cum duodecim ſolverunt. Quibus in mare progreſſus, Chabrias, velis ſublatis, ſcaphas disjunctas immiſit, & dimidias, hoſtium naves unà cum ipſis hominibus cepit. *Polyæn. l. 3.*

Iphicrates, ſi plures hoſtibus milites haberet, & hoc ab hoſtibus ignorari vellet, ut eos paucitatem contemnen-C tes ac nihili pendentes caperet: unum lectum duos milites juſſit facere, & in eo viciſſim requieſcere, atque arma alteri alteris imponere: Sin paucos haberet, ne contemnerentur, unum militem duo ſtrata juſſit facere, atque ſtatim in alium locum traduxit: Hoſtibus verò ſtrata videntibus, & multitudinem admirantibus tum demùm prælium committebat. *Ibidem.*

Clandridas cum Leucanis bellum gerens, cùm eos ſuperaret dimidia multitudine, ratus, ſi hoſtibus innoteſceret, tanta multitudo, eos receſſuros ex periculo, phalangem in profunditatem deduxit. Cùm autem Leucani (Lycaones vocat Frontinus) tanquam paucos contemnentes in longum extenderent ordines, atque includere eos conarentur, ſibique reditum intercluſiſſent, ad dextrum latus extenta phalange: mandavit, ut epiſtatæ ad aſtitem tranſirent, & acie multò longiùs inſtructa circumdedit & incluſit Leucanos. Qui intercepti in medio, & undique proſtrati, omnes perierunt, exceptis paucis qui fugam capeſſentes, turpiter evaſerunt. *Polyænus libro 2. Front. l. 2. c. 3.*

D Alcetas Lacedæmonius, ut Thebanorum commeatum faciliùs ex inopinato aggrederetur, in occulto paratis navibus tanquam unam omninò haberet triremem, vicibus in eam remigem exercebat. Quodam deinde tempore omnes naves in Thebanos tranſnavigantes immiſit, & commeatibus eorum potitus eſt. *Front. l. 4. c. 7.*

Thyraſyllus, ut paucas triremes habere hoſtibus videretur, juſſit, ut nautæ duas naves in unam redigerent, & alterius vela tollerent. Hinc ad jugum efficiendum, funiculis aſtringerent currenti eam quæ juxtà curreret, ne alterius vela in ſublimi eminerent. Hoc pacto dimidiam partem navium occultavit. *Polyæn. l. 1.*

Memnon Rhodius navali prælio, cùm haberet cc. navium claſſem, & hoſtium naves elicere ad prælium vellet, ita ordinavit ſuos, ut paucarum navium malos erigerent, eaſque primas agi juberet. Hoſtes procul conſpicati numerum arborum, & ex eo navium quoque conjectantes, obtulerunt ſe certamini, & à pluribus occupati ſuperatique ſunt. *Frontinus l. 2. c. 5.*

Diotimus, cum decem navibus obviam ibat Lacedæmoniis, totidem naves habentibus. Hi non audebant confligere, peritiam Atticarum metuentes. Ille, remigio dempto, binas E intensè conjunxit: unuſquiſque ſolùm velis ſublatis, pelagus ſolvebat. Lacedæmonii quinque velis apparentibus, quinque duntaxat naves eſſe ſuſpicati, contempta paucitate, adnavigabant. Diotimus ſolutis vinculis, ſe convertit, & in adverſarios impetum cum decem navibus fecit: & uſus Attica ſcientia, ſex Lacedæmoniarum navium ſubmerſis, reliquas quatuor unà cum hominibus cepit. *Poly. libr. 5.*

Alcibiades, contra Mindarum Spartanum & Pharnabazum, qui Cyzici convenerant, claſſe pugnaturus, veritus ne conſpecta navium ſuarum multitudine refugerent in terram: ducibus juſſis, ut lentiùs navigantes ſequerentur à tergo, oſtendit ſe cum navibus quadraginta, hoſteſque laceſſivit. Poſtquam ludificati contempta paucitate, quaſi cum his ſolùm futurum ſibi certamen eſſe, atque ita infeſti in Alcibiadem iverunt: confeſtim coorti in pugnam mutuis conſeruere. At ut reliquæ in dimicantes jam intulerunt ſe, perculſi terga dederunt. Multis interfectis ſpoliatiſque, naves omnes ceperunt: Cyzico etiam capto, non Helleſpontum modò confirmaverunt ſibi, verùm etiam mari ipſi expulere Lacedæmonios. F Interceperunt ſcriptas Laconicè de hac clade ad Ephoros literas: Effluxerunt præclaræ res, Mindarus interiit, eſuriunt milites: hæremus, quid faciendum ſit. *Plut. in Alcibiade.*

Cùm Galli ſecundò Romam petentes, XII. anno poſt Romam captam, haud procul ab urbe conſediſſent ad fluvium Anienem, & eſſent caſtra gravia ac referta omnis generis præda: Camillus V. Dictator metatus eſt caſtra in molli tumulo, multiſque partibus cavo, ut maxima pars exercitus extra conſpectum eſſet: qui autem conſpiciebantur, ex trepidatione viderentur in locum arduum ſe contraxiſſe. Eam Gallorum opinionem ut confirmaret Camillus, cùm ſub oculis ſuis agros vaſtarent, non arcebat, ſed caſtris munitis continebat ſe, dum Gallos partim ad populandum effuſos, partim, qui in caſtris remanſerant, epulis vinoque largo diem noctibus continuantes, cernit. Ibi ante lucem præmiſſa levi armatura (quæ, ut ne inſtrui poſſet acies, impediret perturbaretque, ſubito impetu in eos facto) graviorem armaturam deduxit ſummo mane, ac in planis inſtruxit. Quorum numerus & alacritas ubi Barbaris, qui eſ- G ſe paucos putabant & trepidos, præter expectationem conſpecta eſt: conciderunt animis ex eo primùm, quòd contemni ſe, cùm invaderentur, exiſtimarent. Conſerta indè pugna, clade affecti ſunt Galli maxima. *Plut. in Camillo, & Polyænus l. 1.*

Bara (alii Larta) dux Pœnorum in Sicilia, Lilybæum Rom. terra marique obſidentibus, partem claſſis ſuæ procul armatam juſſit ſtendi. Ad ejus conſpectum cùm evolaſſent Romani, ipſe reliquis, quis in occulto tenuerat, navibus, Lilybæi portum occupavit. *Front. l. 3. c. 10.*

Hannibal (cùm inter Fabium dictatorem & Minutium magiſtrum equitum diviſus eſſet exercitus, & Fabius occaſionibus immineret, Minutius pugnandi cupiditate flagraret) caſtra in campo, qui medius inter hoſtes erat, expoſuit. Et cùm partem peditum in confragoſis rupibus celaſſet, ipſe ad evocandum hoſtem miſit, qui proximum tumultum occuparent. Ad quos opprimendos cùm eduxiſſet copias Minutius, inſidiatores ab Hannibale diſpoſiti, ſubitò conſurrexerunt: & delevissent Minutii exercitum, niſi Fabius periclitantibus ſubveniſſet. *Front. l. 2. c. 5.* H

Idem, cùm exploraſſet negligenter caſtra Fulvii Rom. ducis munita, ipſum præterea multa temere audere, prima luce, cùm denſiores nebulæ præſtarent obſcuritatem, paucos milites munitionum Rom. vigilibus oſtendit. Quo Fulvius repentè movit exercitum. Hannibal per diverſam partem caſtra ejus occupavit: & ita in tergum Romanorum effuſus, octo millia fortiſſimorum militum cum ipſo duce trucidavit. *Front. lib. 2. cap. 5.*

Cajus Carthaginenſibus apud Tyndaridem appellentibus cum navibus octoginta, ipſe ducentas habens triremes, cum hoſtes multitudinem navium veriti, non ad pugnam ſolverent, centum triremium velis collectis, reliquis ritè adaptavit, ac ſolvit. Carthaginenſes pares naves eſſe multitudini apparentium velorum arbitrati, ſumpta fiducia, periculum adierunt, Cajus cum multis adverſus paucas conflictu facto, nullo negotio ſuperavit. *Polyæn. l. 8.*

Cùm alterum Italiæ latus Hannibal laceraret, alterum invaſiſſet Haſdrubal, ne duorum fratrum junctæ copiæ intolerabili onere feſſas ſimul res Romanas urgerent, hinc Cl. Neronis vegetum conſilium, illinc Livii Salinatoris inclyta providen-

A vegetum conſilium, illinc Livii Salinatoris inclyta providentia effecit. Nero enim compreſſo à ſe in Lucanis Hannibale, præſentiam ſuam (quoniam ita ratio belli deſiderabat) mentitus hoſti, ad opem ferendam collegæ per longum iter celeritate mira tetendit. Salinator in Umbria apud Metaurum flumen proximo die dimicaturus, ſumma cum diſſimulatione Neronem caſtris noctu recepit. Tribunos enim à tribunis, centuriones à centurionibus, equites ab equitibus, pedites à peditibus excipi juſſit: ac ſine ulla tumultuatione, ſolo vix unum exercitum capiente, alterum inſeruit. Quo evenit, ne Haſdrubal cum duobus ſe conſulibus præliaturum priùs ſciret, quàm utriuſque virtute proſterneretur. Ita illa toto terrarum orbe infamis Punica calliditas, Romana eluſa prudentia, Hannibalem Neroni, Haſdrubalem Salinatori decipiendum tradidit. *Val. Max. c. 4. l. 7.*

Romani, qui in præſidio Panormitanorum erant, veniente ad obſidionem Haſdrubale, raros ex induſtria in muris poſuerunt defenſores. Quorum paucitate contempta, cùm incautus muris ſuccederet Haſdrubal, eruptione facta cæciderunt eum. *Front. l. 3. c. 17.*

B C. Jul. Cæſar ſeptem millia ducens in exercitu, bellum Gallis inferebat. Is volens opinionem hoſtibus facere, pauciores etiam ſe his habere, vallum anguſtiſſimè juſſit muniri. Ipſe verò cum pluribus militibus locum ſublimem aſperumque interim occupavit, ibique latuit. Procedebant equites pauci extra vallum, & Barbaros laceſſebant. Illi, deſpecta paucitate equitum, ad vallum accedebant. Alii foſſas obruere, alii aggeres revellere. Intereà cùm ſignum tuba ceciniſſet, ſimul eruptionem fecerunt è vallo integri pedites, eque ſuperiori loco cum Cæſare equites à tergo, ut Barbari in medio intercepti, plurimos ex ſuis amitterent. *Polyæn. libro 8.*

Ericus Diſertus, Frothonis regis claſſem ramis arborum occultans, Sclavos in inſidias pertraxit. *Saxo. l. 5.*

Nicolaus Piſanus Venetus in Caralitano Sardiniæ inſulæ ſinu cum Antonio Grimaldo, Genuenſium imperatore, congreſſus, die pugnæ dicto, Joanni Sanuto mandavit, ut decem cum navibus de induſtria abſcedere videretur longiùs (quod à Genuenſibus ipſis conſpici facilè potuit) cæterùm ut in occulto agens, in ipſo pugnæ ardore inſtructus præſtò ad-C eſſet. Pugna commiſſa, ſuperveniente ex improviſo Sanuto, Genuenſes memorabili acie ſunt victi, Grimaldus vix evaſit, univerſa ferè claſſe aut capta, aut ſubmerſa. Fuit ea pugna Genuenſibus adeò infauſta, ut tunc primùm libertatem ſuam Vicecomiti præſuli Mediolanenſi tradiderint. *Egnat. l. 7. cap. 4.*

Mahometus II. capta Conſtantinopoli, claſſem ingentem ad Callipolim comparabat, in qua una ſpem unam invadendæ Italiæ repoſuerat. Petrus Lauretanus Venetæ claſſis imperator eò profectus cum paucis navibus, ſæpiùs Callipolim inviſens, ut Turcam ipſum in certamen traheret: tandem id aſſecutus eſt, ut inſtructiſſimus Turcarum præfectus ad eum venire propoſuerit. Petrus inſtructam reliquam claſſem præcepit ſe ſequi: ita tamen, ut Turcæ rem intelligere non poſſent. Prælio inito, quum paulatim reliquæ naves adveniſſent, veritus Turcarum præfectus, ne plures multò convolarent, in fugam vertitur: univerſa claſſis Turcica tum primùm aut capta aut disjecta eſt, abrupta ſpe Italiæ invadendæ. Ob eam victoriam Kalendæ Juliæ celebres & ſacræ Venetis in hunc uſque diem habentur: tametſi & Carrarienſis princi-D pis clade inſignis, & Andreæ Contareni Ducis in urbem adventu, poſt receptam Clodiam, grata memoria celebretur. *Egnatius l. 7. c. 4.*

Martinus Roſſemius, Gulielmi Geldorum & Cliviæ Ducis copiarum ductor, imminebat Antverpiæ. Renatus Aurantius, Antverpienſibus opem laturus, domo profectus erat. Utriſque ab Briſcotum arcem via erat, ſeptem millium ſpatio Antverpia diſtantem. Roſſemius cum veterani exercitus robore prior eò venit, & quia propterea per eam planiciem Aurantio juveni pugnandi cupido inſidias nectere non poterat, inepta ad id quod perfici poſſet regionis ſolique natura, commentum novitate mirabile à ſolerti ingenio deſumit: Legiones enim toto campo pronis pectoribus procumbere jubet, & equitatum, cui præerat Longavalles ipſius Clivienſis equitum magiſter, ad adverſam caſtelli partem diligenter occultat: duabus tantùm turmis via militari præmiſſis, alaque demùm una gravis armaturæ conſtituta inter raras ac humiles arbuſculas, quæ ſub oppido ad amœnitatem conſitæ, otioſis tenuem umbram parabant. Ductabat Belgas equites vir impiger, nomine Libertus. Haud magno ſpatio ante peditatum profectus, quum raram & exiguam apud hoſtes equitum manum, ac inter arbuſculas E non multos equites & pedites verſari conſpiceret, antecurſores tantùm adveniſſe, gravioraque agmina tardiùs ſequi ratus, & profligari poſſe paucos, & caſtellum præoccupari facile judicavit. Nec mora, à pluribus res ipſa, uti conſpecta judicataque fuerat, ad Aurantium defertur. Is cohortes ad properandum cohortationibus incitabat. Libertus extemplò cum galeatis equitibus ad invadendos hoſtes procurrit. Roſſemiani primum impetum fortiter excipiunt. Sed mox, ut fuerat imperatum, dant terga tanquam impares. Cæterùm in fugam conjectis, extemplò fert opem ala gravis armaturæ, quæ inter arbores conſtiterat, editurque inſignis pugna. Creſcentibus verò Belgis, Roſſemiani partim conſilio, partim neceſſitate atque impetu urgentis hoſtis, laxatis habenis longiſſimè fugiunt, eodemque curſu Belgæ intemperanter terga cedentes ad arbuſculas pertrahuntur: eas enim Roſſemius haſtatis hoſtium cataphractis magno impedimento futuras antè providerat. Feſtinabat Aurantius cum peditatu, ut victoriæ equitum intereſſet, quum Roſſemio, legiones veluti novo miraculo terra editæ, repentè proſiliunt, attolluntur vexilla, tympana crepitant, & quò maximè terreri hoſtis potuit, erectarum ha- F ſtarum ingens ſylva conſpicitur, prodeuntque ſimul cum Longavalle equites ex inſidiis, & in terga lateraque hoſtium alas recurvant. Tum verò Belgæ perterriti, ac indagine veluti incluſi, neque viribus neque armis pares, undique profligantur. Libertus temeritatis dat pœnas, & capitur: cohortes, ne tentato quidem certamine, ad terram arma projiciunt. Aurantius ipſe, quum inter confertos hoſtes verſaretur, erumpente equo fuga elapſus, certum ſuæ cladis nuncium Antverpiam tulit. *Sabell. ſupplem. l. 25.*

IMBECILLITATE, IGNAVIA QUIETE, SECURITATE ſimulata.

Bacchus, ſubactis Indis, ipſos Indos & Amazones in agmine auxilii cauſa ducens, impreſſionem in Bactriorum terram fecit. Terminat autem Bactriam fluvius Saranges. Bactrii montes ſupra flumen poſitos occupabant, ut in Bacchum, flumen trajicientem, deſuper impetum facerent. At ille, poſitis ad flu- G vium caſtris, Amazonas & Bacchas tranſire juſſit, ut Bactrii, contemptis mulieribus, à montibus deſcenderent. Atque his trajicientibus illi deſcendebant, & appropinquantes flumini prohibere eas conabantur. Quibus pedem referentibus, Bactarii uſque ad ripam perſequebantur. Tum Bacchus eductis contra eos viris, impeditos flumine Bactrios occidit, & ſine periculo trajecit. *Polyæn. l. 1.*

Alcibiades habens quendam Catanenſem ſibi fidelem, Syracuſiis notum, miſit eum Syracuſas, tanquam à Catanenſibus miſſum, cum quibus amicitia ac ſocietas eis intercedebat quorum nomina tenerent: & ſic nunciavit, Athenienſes relictis caſtris inermes Catanæ verſari. Quòd ſi ipſi ſummo mane caſtra Athenienſium caperent, poſſe illos in urbes clauſos & inermes nullo negotio opprimi. Crediderunt Syracuſiorum duces, & præceperunt, ut viritim Catanam verſus exirent: atque appropinquantes ad Symmethium fluvium, caſtra poſuerunt. Alcibiades cùm ſenſiſſet eos adventare, triremibus inſtructis, ſummo ſtudio ad urbem Syracuſiorum contendit liberè, & nemine prohibente, eorumque propugnaculum ad latera convulſum diripuit. *Polyænus libro 1.* H

Numantini obſeſſi, ne pro vallo quidem inſtruxerunt aciem: adeòque ſe continuerunt, ut Popilio Lænati fiducia fieret ſcalis oppidum aggrediendi. Quo deinde ſuſpicante inſidias (quia ne tunc quidem obſiſtebatur) ac ſuos revocante, eruptione facta, averſos & decedentes adorti ſunt. *Frontinus l. 3. c. 17.*

Aſculani oppugnaturi oppidum Pompeji, cùm paucos ſenes ægros in muris oſtendiſſent, ob id ſecuros Romanos eruptione facta fugaverunt. *Idem.*

Valdemari regis Danorum auſpiciis alterum Sclaviæ latus Dani invaſerant, alterum Saxones. Cumque Saxonem pabulatores Sclavi per inſidias interemiſſent: Equites militiæ inſignibus occultatis, loricíſque familiari ac ſordida veſte tectis, pabulantium more fruges metere egreſſi, Sclavos Nucleto duce ad ſe opprimendum ex abdito provolantes, ocyùs aſcenſis equis, falceſque gladiis mutantes trucidaverunt. Caput Nucleti abſciſſum ac pilo ſuffixum, ſicque in caſtra perlatum, gratum utriuſque exercitus oculis ſpectaculum præbuit. Quod cùm

cùm filio ejus Priſzlavo (qui ad Danos, Chriſtiani ritus amore tranſierat, & Valdemari ſororem duxerat) cœnitanti nunciatum fuiſſet, aliquantiſper manum ab eſcis retractam dimiſſo capiti ſubjiciens, Dei contemptorem ſic interire par eſſe, dixit: revocatoque à cogitatione animo, conſuetam oris ac mentis hilaritatem exhibuit. *Saxo l.14.*

METU SIMULATO.

Iphicrates, Abydenis bellum inferens, cum eſſet in Cherroneſo, locum quendam occupatum muro cinxit, ſimulans ſe metuere Anaxibium Lacedæmonium. Abydeni videntes eum ædificare murum, ut timidum contempſerunt: & è civitate progreſſi, regioni ſe committere audebant. Iphicrates conſpicatus diſſolutos, noctu partem exercitus in Abydenorum terram inducens, & agros ipſorum incurſionibus infeſtans, magno numero hominum & pecuniarum potitus eſt. *Polyænus l. 3.*

Titurius Sabinus adverſus Gallorum amplum exercitum continendo militem juxta munimenta, præſtitit eis ſuſpicionem metuentis. Cujus augendæ cauſa perfugam miſit, qui affirmaret, exercitum Romanum in deſperatione eſſe, ac fugam cogitare. Barbari oblata victoriæ ſpe concitati, lignis ſarmentiſque curſu caſtra Rom. in colle poſita petiverunt. Unde in eos Titurius univerſas immiſit copias, multiſque Gallorum cæſis, plurimos in deditionem accepit. *Frontinus l.3.c.17.*

C. Jul. Cæſar exercitum in Gallia in hybernia diviſerat, & in Italiam diſceſſerat. Itaque omnis de integro conflagravit bello Gallia. Maxima manus & validiſſima rebellantium duce Ambiorige, Cottam & Titurium cum exercitu delevere. Legionem, cui Q. Cicero præerat, LX. millibus militum arctè obſederunt oppugnaveruntque, ſauciiſque omnibus, atque animi alacritate magis quàm viribus propugnantibus penè expugnaverunt. Cæſar contractis in totum ſeptem millibus militum, acceleravit ad eximendum obſidione Ciceronem. Ludificans autem obſidentes, cedit perpetuò, dum loca idonea pugnanti paucis contra multos occupat. Ibi caſtra poſuit, ſuos omni pugna abſtinet. Vallum altiùs educi, portas obſtrui timoris ſimulatione imperat: id agens, ut contemnantur ſui, quouſque caſtra diſperſa ea ferocia ponentes, infeſto exercitu adortus fudit, & magna ex parte delevit. *Plutarchus in Cæſare, & Front. l. 3. c. 17.*

Idem & Pompejus in Theſſalia, hic quidem fugiendo pugnabat, ſummam copiam habens rerum neceſſariarum: ille cogitans loco movere ad comparandum frumentum, manipulos ſperabat. Pompejani quaſi metu fugientes inſecuti, magna ſunt affecti clade. *Polyæn. l. 8.*

T. Labienus, C. Cæſaris legatus adverſus Gallos, ante adventum Germanorum, quos auxilio his venturos ſciebat, confligere cupiens, diffidentiam ſimulavit: poſitiſque in diverſa ripa caſtris, profectionem edixit in poſterum diem. Galli credentes eum fugere, flumen, quod medium erat, inſtituerunt tranſmittere. Labienus circumacto exercitu, inter ipſas ſuperandi amnis difficultates, eos cæcidit. *Front. l. 2. c. 5.*

Joannes Zimiſca Imperator, commiſſa cum Roſſis pugna, ſentiens loci anguſtiam virtuti ſuorum obſtare, retrò in planiciem fugienti ſimilis ſenſim ceſſit, & hoſtem longè ab urbe avocatum, ſubitò equis converſis aggreſſus, magna affecit ſtrage. *Cedrenus.*

Bello, quod geſſit Heraclius Imper. cum Coſrois Perſarum regis ducibus, duo Romani ad Perſas transfugientes, iis perſuadent, Romanis fugæ cauſam eſſe metum. Fidem tranſfugarum ſermoni habentes, in propinquo caſtra poſuerunt, ut prima luce manum conſererent. Heraclius motis ſub veſperam caſtris, per totam noctem iter fecit: proculque ab hoſtibus in campum virentem progreſſus, ibi caſtra poſuit. Quem barbari præ metu fugiſſe rati, confuſo agmine perſequuti ſunt. Heraclius autem iis occurrit, pugnaque commiſſa divinitùs adjutus, eos fudit: inſecutuſque per convalles, magnam ſtragem hoſtium edidit. *Idem.*

Mahometes II. Turcarum Imper. Belgradi muros dejecerat, & per ruinas Janizaros immittebat. Jo. Huniades muris ſimulato metu relictis, acie inſtructa clàm eorum ingreſſum expectans, ubi ſecurè ingreſſos vidit, dato repentè ſigno, eos diſperſos oppreſſit, anno Salut. 1456. Idibus Junii. *Chalcondylas l. 6.*

ABITU SIMULATO.

Alcibiades adnavigans hoſtili ſolo, noctu milites egredi juſſit, & diem expectans, hoſtibus non exeuntibus, poſitis inſidiis, tabernacula incendit, & abnavigavit. Qui in ube erant, cùm eum ſolviſſe cernerent, collectis animis, procedebant, & per terram undique ſpargebantur. Inſidiatores conſurgentes ceperunt non paucos homines, prædamque copioſam. Alcibiades cum navibus reverſus, tum iis aſſumptis, tum captis qui ceperant, abnavigavit. *Polyæn. l. 1.*

FUGA SIMULATA.

Joſue inſidiis poſitis juxta civitatem Hai, & fugam ſimulans, hoſtes erumpentes cæcidit, & urbem cepit. *Joſue 8.*

Iſraelitæ pugnantes contra Benjamitas, fugam ſimulantes, eos à civitate extraxerunt, & deleverunt. *Jud. 20.*

Hercules navi vectus ad Trojam, ipſe quidem egreſſus eſt, ut in terra pugnaret: gubernatoribus verò mandavit, ut naves in altum traherent. Peditibus igitur fugam ſimulantibus, equites Trojanorum ad naves curſum incitarunt; non tamen capere navigia ſupra mare fluctuantia potuerunt. Eos Hercules inſecutus, ad unum omnes trucidavit in littore, cùm fugiendi per mare non eſſet poteſtas.

Tomyris Scytharum regina, Cyrum Perſarum ducem, æquo marte certantem, ſimulato metu elicuit ad notas militi ſuo anguſtias: atque ibi repentè converſo agmine, natura loci adjuta devicit. *Herodotus.*

Ægyptii conflicturi acie in iis campis, quibus junctæ paludes erant, alga eas contexerunt, commiſſoque prælio fugam ſimulantes, in inſidias hoſtes vocaverunt. Qui rapidiùs vecti per ignota loca, limo inhærentes, circumventi ſunt. *Polyænus.*

Gorgias equitatum ducens, pugnam cum Phœbida ſcutatos habente parabat. Locus erat anguſtus admodùm. Gorgias ſimulans fugere ſcutatos, receſſit. Hoſtibus autem incumbentibus, pertraxit eos in latam & explicatam planitiem. Ibi Gorgias galeam in haſta protendens, ſignum dedit ſuis revertendi. Cùm verò in latiore loco equitatus ſe convertiſſet, impreſſionem equitum non ferentes ſcutati, converſim ad Theſejas fugam dederunt: unde factum eſt, ut illi inter fugiendum caderent. Phœbidas verò confeſtim arrepa fuga, evaſit. *Polyæn. l. 2.*

Alcibiades dux Athenienſium in Helleſponto adverſus Lacedæmonios, cùm amplum exercitum & plures naves haberet, nocte expoſitis in terram quibuſdam militum ſuorum, parte quoque navium poſt quædam promontoria occultata, ipſe cum paucis profectus, ita ut contemptu ſui hoſtem invitaret, eundem inſequentem fugit, donec in præparatas inſidias perduceret, averſum deinde, & egredientem in terram, per eos quos ad hoc ipſum expoſuerat, cæcidit. *Frontinus libro 2. capite 5.*

Ageſilaus, ex adverſo ſedentibus Lacedæmoniis & Thebanis, medium intercipiente fluvio, cùm videret Lacedæmonios Eurotam cupere tranſire: metuens plures Thebanos cum ſociis, nuncios emiſit, qui rumorem divulgarent, oraculum prodidiſſe, eos, qui primi fluvium tranſiſſent, occubituros. Ita prope fluvium retentis Lacedæmoniis, paucos relinquens ſocios, mandavit, ut Thebanis fluvium trajicientibus, ipſi celerrimè fugam arriperent: & alios quoſdam in locis concavis ad agendas inſidias abſcondit: ipſos verò milites in munitum & aſperum locum ductos collocavit. Thebani paucitatem eorum qui relicti erant animadvertentes, animos ſumpſerunt, ac trajecerunt: & dum fugientes inſequuntur, in inſidias incidunt, & interficiuntur ſexcenti. *Polyænus libro 2.*

Phillippus rex, in Chæronea commiſſo cum Athenienſibus prælio, cedens, quaſi ad fugam inclinabat. Dux Athenienſium Stratocles exclamans: In Macedoniam uſque perſequendo, nihil à perſequendo remiſit. Philippus inquiens, Neſciunt Athenienſes vincere: contractam habens phalangem, pedetentim receſſit: & cùm excelſiora loca occupaſſet, militibus confirmatis reverſus, Athenienſes cæcidit. *Polyæn. libro 4.*

Onomarchus, cùm aciem adverſus Macedones inſtrueret, montem obliquum poſt tergum occupans, & cacuminibus utrinque abſcondens ſaxa, ſaxorumque jactores, produxit exercitum in ſubjectam planitiem. Cùm Macedones impetentes jacularentur, Phocenſes ſimulata fuga, ad medium montem ſe recipiunt. Macedones incitati furore ac robore, inſequebantur. At illi de jugis ſaxa dejicientes, phalangem Macedonicam conterebant. Tum Onomarchus Phocenſibus ſignum dat, ut revertantur, & in hoſtes incurſionem faciant. At Macedones, poſterioribus in ſe impetum dantibus, ſuperioribus lapides projicientibus, magno negotio vix fugientes diſceſſerunt. In ipſa fuga regem Macedonum Philippum dixiſſe ferunt: Non fugerunt, ſed receſſerunt, quemadmodum arietes, ut ſecundò vehementiorem impreſſionem facerent. *Polyæn. l. 2.*

Vejentes latrocinantium more Rom. agrum vaſtabant, nec tamen congreſſum Romanorum expectabant. M. Fabius Conſul ad reprimendos latrones cum quaternis millibus Fabiis ad Cremeram fluvium proceſſit. Ibi creſcente aſſiduis ſucceſſibus Fabiorum audacia, Vejentes ſæpiùs ſimulato metu ad urbem refugere, eaque ludificatione Fabiis perſuaſum fuit, nullo tempore locove ſua arma ab hoſte ſuſtineri poſſe ampliùs: peperitque ea perſuaſio contemptum & negligentiam, adeò ut pecora de induſtria ex oppido, haud procul à Cremera, in pabulum propulſa intuiti, inexploratò velut ad certam prædam decurrentes, in inſidias à Vejentibus poſitas inciderint. Qui circumventi ab hoſtibus, quum telis obruerentur, per medios hoſtes ſibi facta via, in collem difficulter evaſerunt. At cùm Vejens verticem collis occuparet, & Fabios inferiori loco conſtitutos telis ſubinde impeteret, omnes ad unum cæſi fuerunt. *Sabell. libr. 1. Ennead. 3.*

Hannibal, cùm ad Trebiam in conſpectu haberet Sempronii longi Coſ. caſtra, medio amne interfluente, ſæviſſima hyeme Magonem & electos in inſidiis poſuit. Deinde Numidas equites, ad eliciendam Sempronii credulitatem, adequitare vallo ejus juſſit: quibus præceperat, ut ad primum Rom. incurſum per nota refugerent vada. Hos conſul adortus temerè & ſecutus, jejunum exercitum in maximo frigore tranſitu fluminis rigere fecit. Mox torpore & inedia affectis, Hannibal ſuum militem oppoſuit, quem ignibus, oleoque & cibo foverat. Nec defuit partibus Mago, qui terga hoſtium in hoc ordinatus cæderet. *Frontin. libr. 2. cap. 4.*

Idem ad Thraſimenum, cùm arcta quædam via in radices montis & campos patentes duceret, ſimulata fuga, per anguſtias ad patentia evaſit, ibique caſtra poſuit: ac nocte diſpoſitis militibus, & per collem, qui imminebat, & in lateribus anguſtiarum prima luce, nebula quoque adjutus, aciem direxit: Flaminius velut fugientem inſequens, cùm anguſtias eſſet ingreſſus, non antè providit inſidias, quàm ſimul à fronte lateribus, tergo circumfuſus, ad internecionem cum exercitu cæderetur. *Ibid.*

Idem ut Saguntinos eliceret, rara acie ad muros accedens, ad primam eruptionem oppidanorum ſimulata fuga ceſſit: interpoſito exercitu, ab oppido interclusos hoſtes à ſuis in medio trucidavit. *Front. l. 3. c. 10.*

Himilco ſive Hamilcar Carthaginenſis, apud Agrigentum juxta oppidum partem copiarum in inſidiis poſuit, præcepitque his, ut cùm proceſſiſſent oppidani, ligna humida incenderent: deinde cum reliqua parte exercitus luce ad eliciendos hoſtes progreſſus, ſimulata fuga, perſequentes oppidanos longiùs cedendo protraxit: inſidiatores prope mœnia imperatum ignem acerbum ſubjecerunt. Unde obortum contemplati fumum Agrigentini, incenſam civitatem ſuam exiſtimaverunt: defendendæque ejus gratia, dum trepidè recurrunt, obviis eis, qui inſidiati juxta muros erant, & à tergo inſtantibus, quos perſecuti fuerant, in medio trucidati ſunt. *Frontin. l. 2. c. 10. & Polyæn. l. 5.*

Carthaginenſes bellum cum Hierone gerentes, noctu adnavigarunt Meſſanæ. Prope urbem Agrigentini in portu naves ſua habebant. Magna triremium & turbinatarum navium copia in oſtio ſubducta ſtabat, reliquæ cuſtodiam agebant. Dux Carthaginenſium trierarcho præcepit, ut ad oſtium portus appropinquet, & ſi hoſtiles ad eas perſequendas ſolvant, altum fuga petat. Trierarchus appropinquat oſtio. Agrigentini exploratorem eſſe rati, navim ſumma contentione perſequuntur. Intereà Carthaginenſes cum reliquis navibus in portum adnavigantes, triremes vacuas incenderunt, onerariarum verò magnam vim extraxerunt. *Polyæn. lib. 6.*

Q. Fabius Maximus Coſ. auxilio Surinis miſſus adverſus Hetruſcos, omnes hoſtium copias in ſe convertit: deinde ſimulato timore, in ſuperiora loca velut fugiens receſſit, effusèque ſubeuntes aggreſſus, non aciem tantùm ſuperavit, ſed etiam caſtris exuit. *Front. l. 2. c. 5.*

Sempronius Gracchus adverſus Celtiberos, metu ſimulato, continuit exercitum: emiſſa deinde armatura levi, quæ hoſtem laceſſeret, ac ſtatim pedem referret, evocavit hoſtem; deinde inordinatos aggreſſus, uſquè eo cæcidit, ut etiam caſtra caperet. *Ibid.*

M. Craſſus bello fugitivorum apud Catinam bina caſtra cominùs cum hoſtium caſtris vallavit: nocte deinde communitis copiis, manente prætorio in majoribus caſtris, ut fallerentur hoſtes, ipſe omnes copias eduxit, & in radicibus prædicti montis conſtituit: diviſoque equitatu, præcepit L. Quintio partem Spartaco objiceret, pugnaque eum fruſtraretur: parte alia Gallos Germanoſque eliceret ad pugnam, & pugna ſimulata deduceret, ubi ipſe aciem inſtruxiſſet. Quos cùm Barbari inſequuti eſſent, equite recedente in cornua, ſubitò acies Romana ad aperta cum clamore cucurrit. XXXV. millia armatorum eo prælio interfecta cum ipſis ducibus Livius tradit, receptas quinque Romanas aquilas, ſigna ſex & 20. multa ſpolia, inter quæ quinque faſces cum ſecuribus. *Frontinus lib. 2. c. 4. & 5.*

C. Caſſius in Syria adverſus Parthos ducens aciem, equitem oſtendit à fronte, cùm a tergo peditem in confragoſo loco occultaſſet: dein cedente equitatu, & per nota ſe recipiente, in præparatas inſidias perduxit exercitum Parthorum, & cæcidit. *Frontinus.*

Viriatus ex latrone dux Celtiberorum, cedere ſe Romanis equitibus ſimulans, uſque ad locum voraginoſum & præaltum eos perduxit. Et cùm ipſe per ſolidos ac notos ſibi tranſitus evaderet, Romanos ignaros locorum immerſoſque limo cæcidit. *Ibid.*

Cn. Pompejus in Armenia contra Mithridatem, quia hoſtes & numero & equitatu prævalebant, juxta collem in anguſtiis tegere galeas (ne fulgore earum conſpicui fierent) juſſit: equites deinde procedere, ac velut prætendere peditibus: præcepitque eis, ut ad primum impetum hoſtium refugerent, & ſimulac ad pedites ventum eſſet, in latera diſcederent. Hac ratione invectos temerè hoſtes inopinato prælio cæcidit. *Frontinus l. 2. c. 3.*

Idem in Hiſpania, diſpoſitis ante, qui ex occulto aggrederentur, ſimulato metu, deduxit inſtantem hoſtem in loca infeſta: deinde ubi res poſtulavit, converſis & in fronte & utriſque lateribus ad internecionem cæcidit, capto etiam duce Sertorianorum Perpetuo. *Frontinus lib. 3. cap. 17.*

Bello civili, dum in Africa Curio tanquam fugientem Saboram præfectum regis Jubæ perſequitur, devectus in patentes campos, Numidarum circumventus equitatu, cecidit. *Frontinus l. 2. c. 5.*

Vetidius, cùm Parthis fiduciam ex multitudine peditum videret increſcere: ad latus caſtrorum XIIX. cohortes in obſcura valla poſuit, equitatu poſt terga militum collocato. Tum paucos admodùm milites in hoſtem miſit. Qui ubi ſimulata fuga hoſtem effusè ſequentem, ultra locum inſidiarum perduxere, coorta à latere acie, præcipitatis in fugam his, Pharnaſtanem interfecit. *Frontinus l. 2. c. 5.*

Solent Perſæ acie diſſoluta, fugaque ſimulata, ſubitò converſi, eos, qui perſequuntur, cædere, & ſagittas è tergo emittere, mox in perſequentes inſurgere. *Nicetas libr. 6.*

Joannes Comnenus Imp. Alexii F. Sozopolim Pamphyliæ urbem ſubacturus, quum & ob militum præſidium & ob loci naturam expugnatu difficilis videretur: Pactiario cuidam, copiis equeſtribus traditis, mandat, ut ſubinde ad Sozopolis mœnia adequitet: hoſtibus egredientibus, terga det, ad locum inſidiarum eliciat. Perſæ urbe effuſi, inſidiis non prævifis, dum inſtantiùs & longiùs etiam inſidias temerè prætervecti perſequuntur, Romani ex inſidiis ſubitò conſurgunt, & fugientes convertuntur. Perſæ in medio circumventi, quum nec ad urbem, ob Romanos ex inſidiis ad occupandos aditus progreſſos, accedere, neque à tergo inſtantes effugere poſſent: partim capiuntur, partim occiduntur, pauci equorum celeritate evadunt: Sozopolis capitur. *Nicetas.*

Petharitus Mediolani regno exutus à Grimoaldo duce Beneventano, in Franciam confugit. Ejus miſericordia rex Francorum commotus, adverſus Grimoaldum, maximum in Italiam militum numerum miſit. Adverſus quos Grimoaldus progreſſus, commiſſo prælio, fugam ſimulatam arripuit, ac quaſi trepidans caſtra omnibus rebus, ſed præcipuè vino, referta reliquit, ratus, Francos opimæ prædæ intentos, omnem rei militaris induſtriam remiſſuros. Neque aliter, quàm putarat, evenit. Franci Grimoaldum vero metu ceſſiſſe arbitrati, caſtris opulentis potiti, ultrà hoſtem perſequuti non ſunt: verùm per otium epulas inſtruxerunt, & cùm avidiùs cibo

potuque corpora ab omnibus hoſtium, cum ſe inſidiis oneraſſent, quieti ſe tradiderunt. Grimoaldus poſt ſecundam vigiliam, ſomno vinoque merſos adortus, tantam eorum ſtragem edidit, ut ne paucos tantùm reliquerit, qui nuncium cladis domum retulerint. Is locus non procul ab Haſta, ab re ipſa Francorum eſt rivulus appellatus. *Sig. l. 2. regni. Ital.*

Anno Salutis 1476. Turcæ in Forum Julii irruperant. Veneti ad Liſontium amnem duce Hieron. Novello comite caſtra habebant. Homarbejus Boſſinæ Saniacus, Genuenſis apoſtata, intempeſta nocte, ad mille lectos equites tacito agmine fluvium tranſnare jubet, atque intentos ſignum ad erumpendum expectare. Ubi illuxit, expeditiſſimam equitum alam ſuperato fluvio ad hoſtium caſtra mittit, & injecto certamine cedendo ſenſim ad inſidiarum locum trahere jubet. Peragunt illi negotium impigrè. Dum hic totis viribus Venetus hoſtem premit, ſtudetque præſenti prælio defungi, dato repentè ſigno, Barbarorum manus ex inſidiis coorta, cum terrifico clamore & ſtrepitu in ſubjectam turmam effuſa, magna clade Venetos affecit. *Sabell. l. 10. Dec. 3. & Jovius in vita Mahometi II.*

SEDITIONIS SIMULATIONE.

Memnon Rhodius rex, cùm equitatu prævaleret, & hoſtem in collibus ſe continentem, in campos vellet deducere: quoſdam ex militibus ſuis ſub ſpecie perfugarum miſit in hoſtium caſtra, qui affirmarent, exercitum Memnonis jam pernicioſa ſeditione furere, & ſubinde aliquam partem ejus dilabi. Huic affirmationi ut fidem faceret, paſſim in conſpectum hoſtium juſſit parva caſtella muniri, velut in ea ſe recepturi eſſent, qui diſſidebant. Hac perſuaſione ſolicitati, qui in montibus ſe continuerant, in plana deſcenderunt: & dum caſtella tentant, ab equitatu circumventi ſunt. *Front. l. 2. c. 5.* & *Polyæn. libr. 5.*

Hannibalis partibus favebant Nolani, & conſilium inierant, cùm feciſſent Romani eruptionem in hoſtes, impedimenta eorum diripiendi. Itaque in urbe cùm exercitum M. Marcellus inſtruxiſſet, impedimenta ſtatuit prope portas, vetuitque edicto Nolanis muros adire. Nuſquam arma ex urbe apparebant, eaque re illexit Hannibalem, ut ad urbem, quaſi eſſent illic omnia tumultus plena, minùs compoſito agmine moveret. Ibi Marcellus proxima patefacta porta, uti præceperat, cum flore equitum in frontem irrumpens, confligit cum hoſtibus. Mox pedites ex altera porta cum clamore accurſunt. Et dum opponit his partem copiarum Hannibal, tertia reſeratur porta, ex qua reliqui erumpunt, atque omni ex parte inſtant trepidantibus re inopinata: nec ſatis validè reſiſtentibus his, quibuſcum manus conſeruerant, ob incurſum poſteriorum. Hìc primùm milites Hannibalis ingenti pavore, multiſque vulneribus ad caſtra uſque impulſi, terga dederunt Romanis. Cecidiſſe dicuntur ampliùs quinque millia. Ex Romanis non plus quingenti deſiderati. *Livius lib. 23. & Plut. in Marcello.*

METU PROPRII DAMNI EX

Incendio.

Leptines Carthaginenſibus ad ulteriorem Pachinis ripam navigantibus, & in terram egredientibus, & prædam terra marique facientibus, ſub noctem inſidiis collocatis, clàm equites aliquot præmiſſos juſſit eorum ſtationes incendere. Carthaginenſes, igne conſpecto, accurrentes, ut quæ in ſtatione habebant, exportata conſervarent: ab equitibus inſidiantibus fuſi fugatique, ad triremes uſque magnum ſuorum numerum amiſerunt. *Polyæn. l. 5.*

Abigeatu.

Scordiſci equites (cùm Heracleæ duarum partium præſidio præpoſitus eſſet Lucullus) pecora abigere ſimulantes, provocarunt eruptionem: fugam deinde mentiti, ſequentem Lucullum in inſidias deduxerunt, & octingentos cum eo milites occiderunt. *Front. l. 3. c. 10.*

Viriatus, diſpoſito per occulta milite, paucos miſit, qui abigerent pecora Socobrigenſium. Ad quæ illi vindicanda cùm frequentes procurriſſent, ſimulanteſque fugam, prædatores perſequerentur: diducti in inſidias, cæſique ſunt. *Frontinus.*

HOSTES COHIBERE, AVERTERE, TERRERE, IN FUGAM VERTERE, OPPRIMERE.

Timorem hoſtium, & per conſequens fugam, promovemus & augemus: & viciſſim audaciam & alacritatem illorum minuimus, impedimus, reprimimus, modis variis: qui ipſi tamen materialiter referuntur ad Bona atque Mala vel noſtra vel hoſtium. At noſtra quidem Bona vel Interna (ſic terremus hoſtes noſtra Vigilantia & Confidentia) vel Externa, & ſic Metum injicimus, partim Corporis Robore, Habitu, & armorum genere, Metu, Clamore & ſtrepitu: partim Fortunæ bonis, nempe Victoriæ nuncio vero ſimulatove: item Auxilio tum Divino, deorum favore, ſpectris: tum Humano, ſeu Ficto (eoque vel Præſente, Copias majores ſimulare: vel Adventante, Auxilia nova ſimulare) ſeu Vero Copiarum ſuarum robore, multitudine. Tum Belluino, Feris hoſtes terrere. Sic quoque Malis noſtris terremus hoſtes, partim Externis ea diſſimulando (Inopiam noſtram, in commeatu præſertim, diſſimulare: & è contra, copiam ſimulare) partim Internis, ſi talia ſint quibus hoſtis terreatur: utputa Deſperatione, Crudelitate. Iam reſpectu Hoſtilium Bonorum atque Malorum terrendi modi ſunt varii: utputa Spe ſalutis & effugii facilis, ut fugere malint, quàm incluſi per deſperationem pugnare. (Hoſtem clauſum emittere. Fugæ locum hoſti dare.) Itidem cohibitione hoſtis, ut quantumvis victor, ab inſequendo deſiſtat (Hoſtis impetum refrænare) ſimiliter Religione, Periculi & inſidiarum metu, Proprii damni, Direptionis metu. Sociorum quoque ſuorum Periculi & damni, aut Perfidiæ & defectionis: Item Deſperatione victoriæ & auxilii: Nuncio denique acceptæ cladis, cædis præcipuè ducum, ſeu vero, ſeu ficto.

HABITU, ARMORUM GENERE.

☞ *Vide Tit. Auxilii divini ſimulatione terrere, infrà.*

Crœſus Græcorum auxiliis cunctantibus, robuſtiſſimos ac maximos Lydorum Græcanicis armis inſtruxit. Cyri milites inuſitatam armaturæ Græcanicæ ſpeciem extimuerunt: atque ita haſtarum cum ſcutis colliſarum fremitus terrorem Perſis injecit, & æneorum ſcutorum ſplendor Perſicorum equorum aciem perſtrinxit atque avertit. Itaque Cyrus ſuperatus, trium dierum inducias cum Crœſo fecit. *Polyæn. lib. 7.*

Antipater in Tetrachoritarum regione militans, juſſit, in equorum ſtramen, quod circum tabernaculum erat, ignem injicere. Quo inflammato, tubicen ſignum dedit, ac Macedones circa tabernaculum coibant, haſtas in altum tendentes. Quo viſo, Tetrachoritæ perterriti, locum reliquerunt, atque ita ſine prælio Antipater victoriam adeptus eſt. *Polyæn. l. 4.*

Lacedæmonii comam alebant, & imminente pugna, eam concinnabant & diſcriminabant. Lycurgus dicere ſolebat, comam formoſos venuſtiores, deformes horridiores reddere. *Plut. in Lycurgo.*

Cùm Lauronem Hiſpaniæ urbem obſideret Q. Sertorius, movit eò omnibus copiis Cn. Pompejus ad ferendam urbi opem. Inde Sertorius ad occupandum tumulum adverſus urbem properans, cùm eum occupaſſet: Pompejus admoto exercitu, gaviſus eſt ita cecidiſſe: miſſiſque ad Lauronitas nunciis, bono animo eos eſſe juſſit, atque in muris conſidere ſpectantes Sertorium obſideri. Sertorius eo nunciato riſit: & ſe diſcipulum Syllæ (Pompejum videlicet) ait docturum, debere imperatorem plus reſpicere, quàm proſpicere: ſimulque oſtendit obſeſſis ſex millia peditum ab ſe relicta in prioribus caſtris, ex quibus egreſſus tumulum illum occupaverat, quò verſum in ſe à tergo aggrederentur Pompejum. Quod admodum ſerò animadvertens Pompejus, cùm adoriri Sertorium non auderet, metuens, ne circumveniretur, relinquere autem periclitantes ſocios verecundia deterreretur: præſens & deſidens ſpectator eſſe cogebatur pereuntium. Deplorata enim re ſua, Barbari in deditionem ſe Sertorii permiſere: quorum vitæ pepercit, dimiſitque cunctos. *Plut. in Sertorio.*

Britannorum conſuetudo uſque ad Severi Imperatoris tempora perduravit, ut in prælium nudi proficiſcerentur, arcu tantùm aut ſcuto lanceaque armati: herba glaſto ora corpuſque infecti, ut hoſtibus trucior eorum eſſet aſpectus. *Fulgoſ. lib. 2. capite 1.*

Titus Imp. cùm jam duos Hieroſolymorum muros ſuperaſſet, quatriduo milites ſuos recenſuit, & in Judæorum conſpe-

ctu ſtipendia numeravit. Quo ſpectaculo nihil horribilius fuit Judæis, cùm omnia armis aureis, & argenteis plena eſſe viderent. *Joſeph. l. 6. c. 11. belli Jud.*

Beliſarius, adverſus Coſroem Perſarum regem ab Imperatore Juſtiniano miſſus, ad Euphrati vicinam regionem pervenerat. Coſroes ſubito illius adventu territus, Abandazem ſcribam ad eum mittit, qui exercitum ſpecularetur, ſub prætextu legationis. Beliſarius ſex millia virorum ſtatura præſtantium delegit, cumque his procul à caſtris veluti venatum proceſſit. Diogenem porrò ſtipatorem, & Adulium Armenum cum mille equis amnem tranſire juſſit, qui ſe vadum ejus explorare ſimularent: ipſe ut appropinquare legatum vidit, papilion in ſolitudine fixit, ſignificans, nullo cum apparatu eò ſe veniſſe: militibuſque præcepit, ut ab utraque tentorii parte eſſent Thraces & Illyrici, Gothi & Heruli, Vandalii & Mauruſii: neque in campum protinùs veluti ad miniſteria deſcenderent, neque confertim: ſed vagarentur hinc inde velut otioſi, atque venantium ſpeciem exhiberent. Abandazes, ut in conſpectum Beliſarii venit, indignari Coſroem oſtendit, quòd Juſtinianus legatos de pace non miſiſſet. Beliſarius contra in Coſroem belli culpam conferre: qui ſi paci ſtuduiſſet, domi potiùs ſuæ legatos operiri, quàm in Romanorum ditionem irrumpendo eam quærere debuerit. Atque hoc reſponſo legatum dimiſit. Is ad Coſroem reverſus, refert, viſum ſibi Beliſarium, ducem prudentia ac fortitudine ſingulari: milites quoque mirabili decore vidiſſe, & compoſitione: ſuaſitque regi, ne cum eo acie congrederetur, ne victus Romanorum ditione, cùm fugæ locus non eſſet, regnum Perſicum everteret. Hujus monitu perſuaſus Coſroes, ſtatim ad ſua redire cogitavit. *Cedrenus.*

Hunnorum arma, thorax & lorica, item arcus & pharetra: nonnulli ſcuto, lancea, enſeque falcato utuntur. Maxima pars corio corpora muniunt, cæteri ferro, gladio longo accincti, & pugione. Hirſutis ad hæc ſe pellibus induunt: & dimiſſæ barbæ, intonſique crines, villorum inſtar, feroces torvoſque aſpectus augent, tantumque terroris adjiciunt, ut ſolo obtutu, nedum congreſſu, hoſtes abſterreant. *Bonfin. lib. 2. Dec. 1.*

Arii, Germaniæ populus, ſuper vires, quibus reliquos antecedunt, truces: inuſitatæ feritati arte ac tempore lenocinantur: nigra ſcuta, tincta corpora, atras ad prælia noctes legunt, ipſaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hoſtium ſuſtinente novum, ac velut infernum aſpectum: nam primi in omnibus præliis oculi vincuntur. *Tacitus de Moribus German.*

CLAMORE, STREPITU.

Gedeon, dux Iſraelitarum trecentorum, contra Madianitarum & Amalechitarum numeroſiſſimum exercitum juſſu Domini, noctu explorandi cauſa cum famulo ſuo Phara in caſtra Madianitarum deſcendit. Cumque propiùs acceſſiſſet, audivit quendam militem alteri ſomnium ſuum narrantem, his verbis: Viſus ſum mihi in ſomnis videre ſtrepentem panem hordeaceum, qui ſeſe per caſtra Madianitarum provolvens, pervaſit ad tabernaculum, quod impulſum & labefactum à culmine dejecit. Tum alter: Nihil aliud iſtud eſt, niſi Gedeonis Iſraelitæ, Joæ filii, gladius, cui Deus victoriam tradit in Madianitas atque caſtra. Hac ſomnii relatione atque interpretatione audita, Gedeon veneratus Deum, & in Iſraelitica caſtra reverſus, hortatur, ut ſurgant: nam Deum eis victoriam de Madianitarum exercitu concedere. Tum trecentos illos partitus in claſſes tres, omnibus ſingulas in manum tubas dat, amphoraſque vacuas, & in amphoris faces, & ut ſeſe imitarentur, præcipit. Ubi igitur ipſe cum ſuis comitibus ad extremum caſtrorum, ineunte media vigilia, pervenit: ſigno dato, clangere omnes tubis, quas manibus ferebant amphoras, confringere, & ſumptis manu ſiniſtra facibus, dextra tubis ad clangendum, ſic exclamare: Dei & Gedeonis gladius, ſuo quiſque loco caſtra circumſtantes. At in caſtris omnes diſcurſare, perſtrepere, diffugere, denique clangentibus trecentis illis, hoſtes (id efficiente Deo) alii in alios totis caſtris enſe graſſari. Cædes maxima hoſtium facta fuit. Reliqui fugere. *Judic. 7.*

Bacchi dux fuit Pan. Is primùm invenit aciem, Phalangem nominavit: cornu inſtituit dextrum & ſiniſtrum. Hac de cauſa ferentem cornua, Pana fingunt. Sed primus etiam hic cædem hoſtium mutuam excogitavit. Cum Baccho in concavo ſaltu nunciaſſent ſpeculatores, infinitas hoſtium copias in ulteriori parte caſtrametari, metus Bacchum inceſſit. At Pan noctu exercitui ſignum dedit, ut maximum & inconditum clamorem tolleret. His verò clamantibus, petræ ſonum exceptum referebant, & cavitas ſaltus longè majorem copiarum fremitum hoſtibus reddebat. Quare metu perterriti hoſtes, ſe in fugam conjecerunt. Propter hoc ſtratagema, Echo Pani amicam poetæ ſunt fabulati: atque vanos nocturnoſque terrores exercituum, Panicos appellarunt. *Polyænus lib. 1.*

Indi tubæ loco flagella quatiebant, habebant & tympana horribilem quendam bombum edentia, quę ſic confecta erant. In abjetis ſtipitem excavatum nolas ex aurichalco inſerebant, & ore vaſis taurino corio tecto, tympanum ſublime ferebant in pugnis. Ac tumultum magnum excitaturi, aut aliquid denunciaturi, vas ligneum in os inverſum incutiebant. Tum quæ in eo erant tintinnabula, & multa & magna, in opertoque ſonantes, obſcurum quendam intrinſecùs edebant bombum, qui ab ignaris non dijudicari facilè poterat, cujus eſſet inſtrumenti aut belluæ; mugitui enim erat ſimilis. *Suidas.*

Syri in primo hoſtium congreſſu ſolem venerati, immodicis vocibus & cantu exultantes, curſu quàm citiſſimo in hoſtes irruunt. *Alex. l. 4. c. 7.*

Æthiopes belligerantes, cantu & clamoribus diſſonis tumultuantur, & ſui moris tripudiis exultant. *Ibid.*

Parthi non cornibus aut tubis claſſicum canunt, ſed clavas ex corio concavas æramentis intentas reſonantibus pulſant undique. Hæ fuſcum clangorem & dirum edunt: velut ululatu belluino & tonitrui aſperitate miſtum. Ac rectè adverterunt ab auditus ſenſu animum turbari maximè, ejuſque ocyſſimè cieri affectus, ac potiſſimùm de ſtatu mentem dejici. *Alex. l. 4. c. 7. & Plut. in Craſſo.*

Galli & Germani olim cum hoſte congreſſuri, biſſono & truci cantu, quem Barritum vocant, cum ululatu & tripudiis ſcuta quatientes, prælia inibant. *Alex. l. 4. c. 7.*

Ambrones inceſſu tardo arma pulſantes, rhythmis cum congreſſu & pulſu armorum conſonantibus, ſuum nomen exprimentes, in hoſtes irruunt. *Ibid.*

Ubii & Treveri virorum cantu, & fœminarum ululatu hoſtem aggrediebantur. *Ibid.*

Cimbrorum uxores in ipſis certaminibus, extentas ad carrorum velamina pelles tantis pulſabant ictibus, ut ingenti cum horrore fragor efficeretur. *Strabo l. 7.*

Abari in conflictu ſonitum excitare confuſum & agreſtem, unàque cum fremitu bellico pulſare tympana conſueverant, ut terrerent Romanos. Quod Bonus præcognitum militibus indicavit, ne re ſubita conſternarentur: eoſque juſſit, pulſatione tympanorum audita, viciſſim ſcuta concutere, & bellicum clamorem tollere, & pæana canere, & ligneas ſitulas collidere. *Suidas in voce ὑποδικτῆσαι.*

Romani, cùm ad hoſtem irent in conſpectu longinquo diſtantem, gradu lento & ſilentio utebantur. At cùm propè ad manus ventum eſſet, ardentiſſimum clamorem tollebant, ut & impetu hoſtis propulſaretur, & clamore terreretur. *Gell. Noct. Attic. l. 1. c. 11.*

Cn. Pompejus contra Mithridatem in Aſia pugnaturus, eum (quandoquidem pugnam detrectare conſueverat) in valle collibus circumdata nocte obſcura invaſit, exercitu in locis ſuperioribus collocato. Hìc tubicines ſimul omnes ſignum canere cœperunt: mox milites cæteraque multitudo ingentem clamorem edere, pars ſcuta haſtis, pars arma ex ære lapidibus percutere. Hujuſmodi ſonitum concavi montes recipere, receptumque reddere multò horribiliorem, ut eo Barbari vehementer perterriti ſint. Romani primùm ſagittis teliſque præliabantur: conſumptis telis omnibus, in eos irruerunt. Qui erant ad alas, cedebant, iiſque, quòd magna ex parte eſſent levis armaturæ, unum ad necem vulnus ſatis erat. Qui in ipſa acie conſiſtebant, premebantur, propterea quòd iis, qui in alis erant, eò præ timore confugiebant. Et ſic Barbari neque ſibi auxilio eſſe, neque in hoſtes quicquam moliri poterant. *Dion. Nicæus in Pompejo.*

Tarſenſes Agareni ab Andrea Scytha, Baſilii Macedonis Imp. duce, ad exiguum redacti numerum, cùm à Styppiota oppugnarentur, & pugnæ ſuſtinendæ impares ſe cognoſcerent: multis conductis equis, ab eorum caudis ſicca coria ſuſpenderunt, ſimulque eos ad varias caſtrorum Rom. partes dimiſerunt: ipſi à tergo eorum tubis ac tympanis ſonitum edentes, ſtrictis cum gladiis in media caſtra inſilierunt. Orta proinde in exercitu Romano trepidatione, & per tumultum viris equiſque in ſe concidentibus, Romani maximam cladem paſſi ſunt. *Cedrenus.*

A Britannis contra Angloſaxones pugnaturis, anno 492. Germanus Altiſiodorenſis Epiſcopus (qui cum Lupo Trecenſium Epiſcopo ad extirpandam Pelagii hæreſim in inſulam tranſmiſerat) in ipſis Paſchæ ſolemnibus, non armis, ſed fide, ſeſe agminis ducem profitetur. Poſtridie rem divinam multo mane facit, poſcit à Deo victoriam, idem etiam cunctis orantibus. Mox ſignum pugnæ dat, ter magna voce Alleluja canens: eandem vocem toties exercitus repetit, tantumque clamoris edit, ut hoſtes, ubi vident in ſe iri, repentè metu corruant, abjectiſque armis, in pedes ſe perinde dent, ac ſi longo certamine victi, deſperata jam ſalute, aliud non ſit remedium fuga opportunius. Ita divina ope parta victoria, nulla cædes, nullus captivus. *Polyænus l. 3. & Bonfin. lib. 4. Decad. 2.*

Turci in prælio non clamore, ſed fremitu utuntur, Bre, Bre, Bre, ſubinde ingeminantes, hoc eſt, Defende te. *Cuſpin.*

Apud Finnos in Sveonum regno ſpecus eſt Smellen vulgò dicta, propè littoralem urbem Viburgum, Moſcovitis vicinam: in quam animali vivo projecto, tam horribilis ſonus excitatur, B ut audientes inſtar vehementiſſimæ bombardæ interimat, vel debilitet in momento. Hoſtibus irruentibus, præfectus terræ jubet omnium aures concludi cera, & in antris abſcondi victuros. Ipſe poſtremus cera obturatis auribus animal aliquod vel haſta, vel fune, præcipitat in os ſpeluncæ: unde tam horridus excitatur ſonus, ut hoſtes obſidentes in circuitu, quaſi mactanda pecora collabantur, & mortuis ſimiles in poteſtatem incolarum veniant. Sic ſæpè Rutheni & Moſcovitæ multa ſuorum millia deſiderarunt. Cæterùm ſpecus ipſa validiſſimis muris ſepta, à viro prudente cuſtoditur perpetuò. *Olaus l. 11. cap. 4. & 5.*

Quum anno 1532. Solymannus Turcarum Imp. numeroſo exercitu in Noricum irrumperet, Habraimus Baſſarum princeps, cui Solymannus, quod nemini unquam ab Othomanis datum meminerant, ſupremi imperii poteſtatem communicarat, ad Guintium profectus, Nicolizzæ oppidi præfecti fidem promiſſis & minis pertentat. Sed quum Nicolizza nihil demiſſum reſponderet, aguntur tribus in locis cuniculi. Cæterùm quum diſciſſo & proruente muro, Guintiani præſentibus animis introrsùs munitiones extruerent, & cuniculis diligen- C ter vel à feminis obviam iretur, duo inuſitatæ magnitudinis propugnacula ante foſſam erexit Habraimus, in ſummam educta altitudinem. Repleta foſſa, Turcæ in oppidum impetum fecerunt. Cùm jam propè intra murum pervaderent prætoriani, tantus ſublatus eſt clamor cum ejulatu ab imbelli multitudine, ut ſtupefacti potiùs quàm territi Turcæ retroceſſerint, cùm integri erumpentis ab arce præſidii ſtrepitum clamoremque putaſſent, equitemque diſtricto gladio ipſis ſubeuntibus comminantem in aere conſpexiſſent: eam extitiſſe divi Martini ſpeciem vulgò ajunt, qui Sabarienſes conſervaſſet. *Jovius l. 30. Hiſtor.*

IMPETU.

☞ *Conſule Tit. Milites animare Adhortatione, infrà.*

Orontes contra Autophradatem pugnaturus, cùm Græci quos ſecum habebat, pedites in acie condenſato agmine ſtarent, equitibus phalangem perfringere non valentibus, ob eamque cauſam averſis, juſſit, ſi rurſus impreſſionem facere conarentur equites, tribus paſſibus progrederentur. Quibus progredientibus, equites arbitrati ipſos irruptionem facere, D declinantes fugam capeſſerunt. *Polyæn. l. 7.*

Themiſtocles ad Artemiſium impetu in hoſtem incurrendum eſſe, docuit. *Diod. lib. 11.* Et C. Jul. Cæſar in acie Pharſalica Pompejum hoc ipſo peccaſſe dixit, quòd excipere ſuos, non inferre impetum voluiſſet. *Plut. in Pompejo.*

VICTORIÆ NOSTRÆ ET
nostrorum nuncio vel vero, vel ſimulato.

Ageſilaus adverſus Bœotos præliabatur. Erat anceps victoria. Nox prælium diremit. Ille media nocte fideliſſimos miſit, dato præcepto, ut quos Spartiatas mortuos agnoſcerent, pulvere reſperſos occultarent. Hoſtes orto die, cùm ſuos omnes proſtratos cernerent, Spartiatarum verò paucos, quaſi victoriam Lacedæmoniis habentibus, cum eis congredi ampliùs non ſunt auſi. *Polyænus l. 2.*

Pelopidas Thebanus Magnetum duo oppida ſimul oppugnaturus, non ita longo ſpatio diſtantia, quo tempore ad alterum eorum exercitum admovebat, præcepit, ut ex compoſito ab aliis caſtris quatuor equites coronati, notabili alacritate E velut victoriam nunciantes venirent: ad cujus ſimulationem curavit, ut ſylva quæ in medio erat, incenderetur, præbitura ſpeciem urbis ardentis: præterea quoſdam captivorum habitu eòdem juſſit perduci. Qua aſſeveratione perterriti, qui obſidebantur, dum in parte jam ſe ſuperatos exiſtimarent, defecerunt. *Frontinus l. 3. c. 8. & Polyæn. l. 2.*

Athenienſes & Thebani ad pugnam inſtruebantur. Myronides Athenienſibus præcepit, ut cùm ipſe ſignum dediſſet, excurrerent in hoſtes, initio facto à ſiniſtra. Quo ſignum dante, illi currebant. Cùm verò aliquouſque eſſent progreſſi, Myronides ad dextrum cornu feſtinans, magna voce clamavit: Vicimus in lævo. Athenienſes victoriæ fama confirmati, promptiùs & alacriùs hoſtes aggrediuntur. Thebani nuncio ſuorum cladis perculſi, ad fugam inclinaverunt. *Polyæn. l. 1. & Frontinus l. 2. c. 4.*

Ariſtomenes Lacedæmonius, Dionyſio ferens auxilium, exigua inclinatione facta, videns triremes permixtas, præcepit ſuis militibus, ut clamarent, Sine fugere. Hoſtes audita hac voce, in fugam converſi ſunt, rati ſe omninò ſuperati. *Polyæn. l. 2.* F

Annibal cum Roman. Capuam obſidentibus ſigna conferens, cùm ſui caſtra Romanorum irrumpere conarentur, miſit quendam Latinæ peritum linguæ, qui juſſu Conſulum alta voce denunciaret Romanis, ut caſtris jam propè amiſſis, in proximos montes confugerent. Vox inopinata facilè audientes moviſſet, niſi Romani Punicis dolis aſſueti cognoviſſent fraudem. Itaque celeriter ſe invicem confirmantes, hoſtem pedem referre, ſeque in caſtra recipere coegerunt. *Auctor vitæ ejus.*

Leotychidas Spartanus ad Mycalem Joniæ claſſem contra Perſas ducens, præconi, qui vocis amplitudine omnes ſuperabat, mandavit, ut littoribus hoſtium adnavigans, quanta poſſet voce intonaret: Ad Platæas debellatum eſſe, Perſas ibi profligatos, jam adventare Græcam juventutem, ad reparandam Græcis in Aſia civitatibus libertatem. Perſas proinde falſo eo nuncio perculit, ut nec Græcis deinceps ſervis ampliùs fiderent. Leotychidas exploratis locis, comparato exercitu, copias exponit. Poſtera die cùm inſtrueretur acies, rumor verus cœpit repentè increbreſcere, Perſas à Græcis ad Platæas profligatos: & compertum eſt, utraſque eadem die G acies inſtructas, & ad Plateas, & ad Mycalen conflixiſſe. *Diod. l. 11. c. 1.*

Ad Humbrum amnem pugnante Arthuro Britannorum rege contra Pictos atque Scotos, clamatum eſt per quendam vocaliſſimum, Britannica lingua, ad id à Pictis ſubornatum: Arthurum Britannicæque gentis nobiliſſimos quoſque cæſos. Vox ea Scotos ac Pictos ingenti affecit lætitia; Britannos autem tanto pavore, ut abjectis armis, permulti ſe in fugam proripientes, nec ducum ſignis, nec æneatoribus receptui canentibus obtemperarent. Cæſus in eo prælio Arthurus cum XXX. M. ſuorum. *H. Boeth. l. 9.*

Friſones à Theoderico Flandrenſi, Arnulphi Gandavenſis filio, oppugnabantur, ad necem patris (quem oppreſſerant) vindicandam. Imperator Henricus II. illi adjungit Gotfridum Lotharingiæ & Brabantiæ ducem. Quum congreſſi manus conſeruiſſent, vox inſonuit (incertum unde) Fugite, fugite. Ducales, qui ſe divinitùs admoneri arbitrabantur, illicò in fugam converſi, multi à paucis Friſonibus cæduntur. H Dux captus Imperatorem illis reconciliavit. *Crantzius lib. 4. Saxoniæ cap. 32.*

Gerardus Magnus Holſatiæ dux contra Chriſtophorum Danorum regem Holſatos Candidis indutus ducebat, arcem Gortorp. obſidentem. Id de longinquo Dani proſpicientes, mulieres in ſe duci per contemptum aſſerebant. Conſerto prælio acri, Holſati ſublatum clamorem tollunt, Fugiunt, fugiunt. Dani fictam fugam in veram concepta formidine verterunt, ſolutaque eſt obſidio eo ipſo die. *Crantzius lib. 9. Saxoniæ, c. 10.*

Poloni contra Tartaros ad Legnitiam pugnabant æquo marte. Tum quidam Tartarus eques à latere ex improviſo apparens, Polonica lingua, ut fugerent, identidem vociferatus, Polonos conturbavit, & in fugam convertit, orto fugæ initio à Miecislao Oppolienſi, qui vocem illam amici eſſe, ſaluti ſuorum conſulentis, quaſi jam reliqua agmina à Barbaris deleta eſſent, crediderat. *Cromerus l. 8.*

Miſco, ſeu Miecislaus, Polonus, Boemorum ducem Boleslaum oculis privavit, comites ejus obtruncavit, & Pragam biennio obſeſſam fame expugnavit, Ulricus Boemi frater, ab Imperatore Henrico (huic enim pater eum educandum dede-

A derat) clam dimiſſus, Dievizum natura & arte munitum occupat: raptimque collecto milite Pragam tendens, per præconem civibus denunciari jubet, victis & fugatis Polonis, adeſſe cum exercitu principem victorem. Quo nuncio territi Poloni fugam arripiunt: eaque ratione Ulricus urbem recepit. *Æneas Sylvius c. 17. & 18. Bohem. hiſtor. ann. 1007.*

Sigiſmundo Imper. ad Nicopolim cum Turcis ſigna collaturo, Illyrii qui ab Hungaris defecerant, in jugis montium quoſdam è ſuis occuluere, qui in medio prælii ardore per declive ruentes, verſos in fugam Hungaros proclamarent. Ungari eo dolo territi, victoriam è manibus elabi ſunt paſſi. *Bonfinius l. 3. Dec. 3.*

AUXILII DIVINI SIMULATIONE, SPECTRIS.

Tellias vates Elæus, cùm Theſſali Phocenſibus bellum intuliſſent, ſexcentos viros è Phocenſibus præſtantiſſimos gypſo illevit, eoſque ſub nocte in Theſſalos dimiſit, dato præcepto, ut quemcunque albicantem non cernerent, eum obtruncarent. Hos primùm Theſſalorum excubitores ſpectrum B eſſe arbitrati, deinde ipſi exercitus adeò exhorruerunt, ut tribus millibus cæſorum atque ſcutorum Phocenſes potiti ſint: quorum ſcutorum dimidium apud Abas, alterum dimidium apud Delphos dedicaverunt: & ex decima pecuniarum hujus pugnæ factæ ſunt ſtatuæ grandes, quæ circa tripodem è regione delubri Delphis viſuntur: & alteræ ejuſmodi, in Abis repoſitæ. *Herod. l. 8. & Pauſan. l. 10.*

Ætoli Pellenam oppugnabant. Pro Pellena collis eſt excelſus, è regione arcis poſitus: in quem, concurſu facto, Pellenenſes arma expediebant. Palladis ſacerdos conſuetam illius diei armaturam habens, & galeam tricollem, pulcherrima maximaque omnium virginum, ab arce intuebatur in civium ſeſe armantium multitudinem. Ætoli virginem armatam è templo Minervæ procedere conſpicati, ipſam Minervam auxilio Pellenenſibus venire exiſtimantes, reverterunt. Pellenenſes verò perſecuti, non parvum Ætolorum numerum occiderunt. *Polyæn. l. 8.*

Pericles dux Athenienſium, initurus prælium, cùm animadvertiſſet lucum, ex quo utraque acies conſpici poterat, denſiſſimæ opacitatis, vaſtum alioqui, & Diti patri ſacrum: ingentis C illic ſtaturæ hominem, altiſſimis cothurnis, & veſte purpurea, coma venerabilem, in curru candidorum equorum ſublimem conſtituit: qui dato ſigno pugnæ proveheretur, & voce Periclem nomine appellans, cohortaretur eum, diceretque, Deos Athenienſibus adeſſe. Quo viſo, penè ante conjectum primi teli hoſtes terga verterunt. *Front. l. 1. c. 11.*

Piſiſtratus, cùm ope Megaclis Athenienſis (qui ei filiam ſuam uxorem dare promiſerat) Athenas eſſet reductus, ut citra ſanguinem tyrannidem reciperet: mulierem quandam Phyam nomine, è tribu Pœaniæa, tribus digitis minus ſtatura quatuor cubitorum, formoſiſſimam, Minervæ habitu inſtructam, curruique impoſitam, ante exercitum in urbem eduxerunt, præmiſſis præconibus, qui Palladem Piſiſtrato præſentem favere aſſererent. Ea re audita, Athenienſes Piſiſtrato ſeſe dederunt. *Herod. l. 1.*

M. Fabium Ambuſtum conſulem Faliſci & Tarquinienſes prima pugna fuderunt, Romanis falſa ſpecie & velut phanatica deceptis. Sacerdotes hoſtium cum facibus incenſis, furiali inceſſu, anguium nodos intendentes, militem ſpectaculo inſueto turbaverunt. Inde ubi à conſule & tribunis cœptum D eſt in vanum illum metum reclamari, quòd puerorum more talia expaveſcerent: pudore affecti milites, ferociter in hoſtes vertuntur, atque in ea ipſa, quæ nuper extimuerunt, velut amentes ruunt. Ibi hoſtili ludibrio confeſtim diſcuſſo, in armatos cuneos ſeſe inferunt. Fuitque tantus Romanorum in prælium impetus, ut ne armato quidem non modò inermi hoſte ſuſtineri potuerint. Fuſa acie, caſtris Romanus victor cum multa præda potitus eſt. *Sabell. l. Enn. 4. Cornelius Tacitus lib. Hiſt. 14. & in vita Julii Agricolæ, & Polyænus l. 1.*

Idem Vejentes & Fidenates facibus arreptis fecerunt. *Frontin. l. 2. c. 4.*

Sub Nerone obtinebat Britannos præſidio Paulinus Svetonius. Is Monam inſulam expugnare adortus (erat hæc incolis valida, & transfugarum receptaculum) in novum pugnæ incidit diſcrimen. Stabant mulieres in adverſo littore, furiali habitu ac flammis inſtructæ: ſtabant & Druidæ ſacerdotes, diraſque in Romanos fundebant preces, manibus ad cœlum ſublatis. Cætera multitudo pugnæ fuit inſtructa, quæ non tam terrori erat Romanis, quàm muliebre illud oculorum ludibrium. Sed miles ducis hortatione in littus egreſſus, con- E feſtim inſulanos diſpulit. Fuſi fugatique Barbari ad deditionem compelluntur. Præſidium deditis imponitur. Luci everſi, in quibus Druidæ diro ritu humanas mactabant hoſtias. *Sab. l. 2. Ennead. 7. H. Boeth. l. 4.*

Luitprandus, præeunte lancea Dominica, cui artificiosè clavi Chriſti crucifixi inſerti erant, ſemper hoſtes ſuos terruiſſe, ac in fugam convertiſſe Henricum Imper. ſcribit, *l. 4 capite 12.*

COPIAS SIVE EXERCITUM
noſtrum majorem ſimulando.

☞ *Conſule Tit. Elephantes comparare, infrà.*

Helnes Arcadum rex, vaſtantibus Tegeam Lacedæmoniis, quotquot vigentem ac floridam ætatem haberent, ſupra caput hoſtium miſit, præcipiens, ut media nocte in eos impetum facerent. Quotquot verò ætate provecti, aut nondum adulti eſſent, eos juſſit eodem tempore ante civitatem ignem quàm maximum incendere. Hoſtes ad viſum ignem obſtupefacti, in F eum oculos conjiciebant. Qui verò in cacumine erant, obtuentes inopinatos, plurimos ex iis morte affecerunt, multos etiam captos in vincula conjecerunt. Et oraculum finem habuit:

Δώσω τοι Τεγέην ποσσὶ κρότον ὀρχήσασθαι.

Polyæn. l. 1.

Cùm Bœoti, qui Arnam incolunt, cum Theſſalis bellum gererent, Theſſalus noctem obſervans tenebroſam, mandavit militibus, ut diſperſis per campum, alius alibi in montium faſtigiis faces & tædas incenderent, atque ſublimes ferrent, rurſuſque deprimerent. Bœoti conſpecto igne, quaſi fulmine circumdati, in metum ac terrorem inciderunt, & ad ſupplicandum Theſſalis, & de pace rogandum, ſe converterunt. *Polyæn. l. 1.*

Ageſilaus per Macedoniam iter faciens, miſit ad Æropum, Macedonum regem, legatos de tranſitu ac fœdere faciendo. Æropus fœdus non accepit, inquiens, ſe obviam iturum. Cùm audiſſet paucos equites eſſe Laconi, ſuum equitatum inſtruxit: & ut plures, quàm revera eſſent, equites habere videre- G tur, copias pedeſtres in prima acie collocavit, in poſteriori equites, quotquot habebat, in duplicem phalangem diſtribuens, addiditque aſinos, mulos, & ex equis quotquot propter ſenectutem onera ferentes ſequerentur. His inſidentes viri equeſtribus armis præditi, conſpectum præbuerunt magni equitatus, Æropus igitur perterritus de tranſitu, fœdus admittebat. *Polyæn. l. 2.*

Mnaſippidas exiguam multitudinem ducebat. Cùm autem hoſtes noctu impetum facerent, juſſit levis armaturæ milites, & tibicines in tenebris circuire, & à tergo impetentium claſſicum canere, ac jacula mittere. Illi igitur, tanquam incluſi à magna multitudine, confeſtim diſceſſerunt. *Polyænus libro 2.*

Dionyſius pactus cum iis, qui Naxum prodere inſtituerant, ipſe quidem ſerò ad muros cum ſeptem millibus acceſſit. Naxii intellecta proditione, in turres aſcenderunt. Proditores è turribus Dionyſium vocabant cum univerſis copiis. Ille verò minabatur iis qui muros tuebantur, niſi traderent ſibi civitatem, ſe omnes eos morte affecturum. Sub idem tempus juſſu Dionyſii in portum Naxiorum appulit Dionyſiaca pentecon- H torus, quæ fiſtulantes tubicines & hortantes hortatores duxit. Naxii totidem triremes adnavigare putantes, quot hortatores videbant, metu perterriti, ſponte Dionyſio civitatem dedidere. *Polyæn. l. 5.*

Antipater in Theſſalia volens hoſtibus plurimorum equitum opinionem præbere, contractos multos aſinos atque mulos turmatim inſtruxit, in eoſque viros impoſuit equeſtri armatura præditos. Unicuique verò turmæ primum ordinem verorum equitum addidit. Eos hoſtes conſpicati, & ſequentes etiam equites eſſe ſuſpicati, metu perculſi, ſe fugæ mandaverunt. Hoc ſtratagemate Ageſilaus etiam uſus eſt adverſus Æropum in Macedonia, & Eumenes adverſus Antigonum in Aſia. *Polyæn. l. 4.*

Eumenes Cardianus cum Argyraſpidibus in Gabenorum regione hybernabat, quos cum ſparſim caſtra poſuiſſe intelligeret Antigonus, eos ex improviſo per montes via compendioſa opprimere cogitavit; quo nuncio territis militibus, cùm non longè abeſſet Antigonus, Eumenes inhibiturum ſe hoſtium celeritatem oſtendit, ut diebus tribus, quàm expecta-

A rentur, tardiùs eſſent adfuturi. Circummiſit enim nuncios imperans, ut copiæ ex hybernis & cæteri properè convenirent: ſimulque cum aliis ducibus excurrens, & locum facientibus inter per deſertum ex edito conſpicuum amplexus, & dimenſus, crebras pyras per intervalla præcepit extrui. Quos ignes ubi conſpexit Antigonus, exiſtimabat, hoſtes explorato ſuo adventu ſibi occurrere. Itaque relicta via compendiaria, per vicos duxit & oppida, reficiens per otium exercitum. *Plut. in Eumene, & Polyænus libro* 4.

Ptolemæus adverſus Perdiccam exercitu prævalentem ipſe invalidus, omne pecudum genus, religatis ad tergum quæ traherent carpentis, agendum per paucos curavit equites. Ipſe prægreſſus cum copiis quas habebat, effecit, ut pulvis, quem pecora excitaverant, ſpeciem magni ſequentis exercitus præberet; cujus expectatione territum vicit hoſtem. *Front. l. 4. c. 7. & Polyæn. l. 4.*

Minutius Ruffus, cùm à Sordiſcis Daciſque premeretur, quibus impar erat numero, præmiſit fratrem & paucos equites, unà cum æneatoribus: præcepitque, ut, cùm vidiſſet contractum prælium, ſubitus ex diverſo ſe oſtenderet, juberetque **B** æneatores concinere. Sonantibus montium jugis, ſpecies ingentis multitudinis offuſa eſt hoſtibus: qua perterriti, dedere terga. *Front. l. 2. c 4.*

M. Marcellus, cùm vereretur, ne paucitatem ſuorum militum clamor detegeret: ſimul lixas caloneſque, & omnis generis ſequelas, conclamare juſſit: atque ita hoſtem magni exercitus ſpecie exterruit. *Ibidem.*

C. Marius circa aquas Sextias, cùm in animum haberet, poſtera die depugnare adverſus Teutones: Marcellum cum parva manu equitum peditumque noctu poſt terga hoſtium miſit, & ad implendam multitudinis ſpeciem agaſones lixaſque armatos ſimul ire juſſit, jumentorumque magnam partem inſtructorum cum contunculis, ut per hoc facies equitatus objiceretur: præcepitque, ut cùm animadvertiſſent committi prælium, ipſi in terga hoſtium deſcenderent. Qui apparatus tantum terroris intulit, ut aſperrimi hoſtes in fugam verſi ſint. *Front. l. 2. c. 4. & Polyænus l. 4.*

C. Jul. Cæſar Alexiam urbem Galliæ oppugnabat. Gallorum ad eos congregabantur ducenta quinque millia. Ille per noctem armatos ter mille, omneſque equites ſepa**C**rans, ab obliqua parte utrinque juſſit revertente poſtero die circiter horam ſecundam à tergo hoſtium ſe oſtendere, & fortunam tentare. Ipſe ſub primam lucem exercitum ad pugnam eduxit, quos Barbari, multitudine freti, cum riſu excipiebant. Verùm cæteris à tergo apparentibus, & clamorem tollentibus, atque intercludentibus, deſperata fuga, in maximum terrorem ac perturbationem inciderunt, & eo tempore maximam ſtragem Gallorum editam eſſe dicunt. *Polyæn. l. 8.*

Idem Dyrrachium occupatum à Pompejo capere volens, paucos ipſe quidem equites habebat: At illi magna equitum multitudine abundabant. Veruntamen multitudinem illam, uſus arte, in fugam vertit. Paucis enim equitibus cum incitatis equis impetum facere juſſit: ante illos tres manipulos peditum conſtituit, præcipiens, ut nihil aliud facerent, quàm pedibus excitarent pulverem, quantùm maximum poſſent Magna nebula ſublata, ingentis equitum multitudinis opinionem hoſtibus fecit. Itaque ſubitò perterriti, fugam cepere. *Ibidem.*

D Julianus Apoſtata contra Conſtantium Imp. movens, profecturus per maritimas ſylvas, viaſque junctas Iſtri fluminis ripis: veritus, ne paucorum comitatu ſtipatus, contemneretur ab inimicis: agmina ita diſtribuit, ut alios per itinera Italiæ nota Jovius & Jovinus ducerent, alii per mediterranea Rhetiarum magiſtro equitum Navita contenderent: ut in varias partes diviſi, majoris numeri opinionem afferrent, atque omnia tumultu ac trepidatione complerent; mandatumque dedit, ut omnes tanquam cum hoſte protinùs occurſuro iter conficerent: cumque ad locum veniſſet, ubi navigari poſſe Danubium didicit, lembis, quàm occultiſſimè potuit, decurrit: ob id latens, quòd paucis contentus extra oppida, civibus imprudentibus, tranſibat. Fama tamen præceſſit, Julianum, dimiſſis regibus, cum ingenti exercitu adventare. *Sigon. l. 6. Imp. occid.*

Anno 560. Hunni ex Mœſia in Thraciam cùm tranſiſſent, capto provinciæ præfecto, magnam cædem fecerunt. Itaque Beliſarius, licèt jam effœtæ ætatis, miſſus eſt: qui, equis civium ſumptis, armata multitudine venit ad Chiti pagum: foſſaque facta, barbaros, quotquot cædit, occidit, palmites etiam arborum poſt ſe traxit, ut excita**E**to pulvere, ingentis ſpeciem multitudinis Hunnis præberet. Qua opinione decepti, uſque ad Arcadiopolim profugerunt: & cùm naves parari viderent, ut ſibi tutus receptus daretur, poſtularunt. *Sigon. lib. 20. Imp. occid. ex Cedreno.*

Hungari A. D. 938. Germaniam invaſerant & vaſtaverant. Sacconium urbem Rauracorum in Rheni inſula ſitam obſidebant diviſo exercitu. Hermigerus Rauracus ducem ſuis ſe præbens, noctu cum paucis hoſtes ultra Rhenum aggreſſus, in montibus vicinis quoſdam faces efferre juſſit, ut hoſtes ancipiti periculo territi, faciliùs in fugam verterentur. Itaque Hungari miſerè trucidati, cùm qui cis Rhenum erant, auxilium illis ferre non poſſent. Hermigerus prædam ampliſſimam monaſterio Sacconienſi dicavit.

Grimoaldus Longobardorum rex Cacanum Hunnorum ducem contra Lupum Forojulienſem regem excitaverat. Eo devicto, Cacanus in arma Longobardorum quoque caſtella circumtulit. Grimoaldus nunciis miſſis Cacanum monuit, ut Lupo vindicato, Forojulienſi regione decederet. **F** Cui reſpondit Cacanus, Se haudquaquam terram eam relicturum, quam ipſe armis, ac multo ſuorum ſanguine partam teneret. Quo reſponſo Grimoaldus incenſus, bellum adverſus eum decrevit, ac copias quàm maximas potuit, comparavit, verùm haudquaquam cum immenſo Cacani exercitu conferendas. Aderant fortè legati Cacani, cùm ipſe exercitum recenſebat. Ibi exiguitatem copiarum ſuarum occultare, ac majoris ſpeciem præbere exercitus volens, legatoſque decipere: eoſdem milites diverſo habitu atque armatu inſtructos, in præſentia legatorum per dies aliquot, quaſi novum ſemper exercitum, decurrere juſſit; atque ad eos converſus, ita dixit: Cùm hac, quam vidiſtis, multitudine Cacanum invadam, niſi protinùs Forojulii finibus ceſſerit. Quæ cum Cacano legati renunciaſſent, territus, extemplò ſe in regnum ſuum recepit. *Sigon. l. 3. regni Ital. & Sab. l. 4. de vetuſt. Aquil. & Bonfin. l. 7. Dec. 1.*

Styppiotes, qui egregium ducem Andream Scytham, adverſus Tarſenſes Agarenos victorem, calumniis in odium apud Baſilium Macedonum Imper. adduxerat, in ipſius lo**G**cum ſubſtitutus, Tarſo appropinquans, caſtra eo loco, qui Chryſobullum dicitur, ponit, neque foſſa ſatis ea, neque excubiis muniens. Cujus incuriam cùm obſervaſſent Tarſenſes, per noctem eum adoriuntur, tali commento uſi. Quia accepta ab Andrea clade ad exiguum redacti numerum, pugnæ ſuſtinendæ pares non erant, multis conductis equis, ab eorum caudis ſicca coria ſuſpendunt, ſimulque eos ad varias caſtrorum Romanorum partes dimittunt: ipſi è tergo eorum tubis ac tympanis ſonitum edentes, ſtrictis cum gladiis in media caſtra inſiliunt. Orta proinde in exercitu Romano trepidatione, & per tumultum viris equiſque in ſe confusè incidentibus, factum eſt, ut barbari vincerent, immenſamque Romanorum cædem peragerent, pleriſque à ſuis inglorie obtritis atque ſuffocatis. Tarſenſes hac inopinata potiti victoria, & conciſo Romano exercitu, barbarica conclamatione & ſtrepitu pæanem cecinerunt. *Cedrenus.*

Fridlevus Danorum rex, apud Britanniam amiſſis bello militibus, cum difficilem ad littus reditum habiturus videretur: interfectorum cadaveribus erectis, & in acie collocatis, ita priſtinum multitudinis habitum repræſentavit, ut nihil illi **H** ex tanto vulnere detractum videretur. *Saxo lib. 4. & Olaus l. 5. c. 19.*

Cùm Britanni, Amlethum Jutiæ regem inſecuti, majore copiarum parte exuiſſent, Amlethus die poſtero, ad augendam multitudinis ſpeciem, cæſorum cadavera partim ſubjectis ſtipitibus fulta, partim propinquis lapidibus affixa, alia viventium more equis impoſita, in aciem digeſſit, ut ipſæ extinctorum imagines, laceſſentibus Solis radiis, immenſi agminis ſpeciem darent. Quo aſpectu territi Britanni, à mortuis ſuperati ſunt, quos vivos oppreſſerant. Rex dum ſegniùs fugam intendit, ab imminentibus Danis occiſus fuit, *Saxo. l. 4.*

Brudus Pictorum rex, contra Alpinum Scotorum regem pugnaturus, nocte quæ diem pugnæ præceſſit, clitellariis equis mulieres agaſoneſque, partim arma, partim linum indutos, contos tenentes, & ligna haſtarum æmula, inſidere juſſit. Centum his admiſcet equites, duces futuros. Qui cùm in ipſo prælii ardore eſſent conſpecti, territi Scoti, ne hoſtilibus circumdarentur armis, omiſſa pugna, præcipiti curſu fugientes abiere. Parva in prælio cædes edita, in fuga

A multò maxima: captus rex Alpinus, ſecuri percuſſus eſt. *H. Boeth. l. 10.*

Conradus I. Imper. Henricum Saxonum ducem imparatum in urbe Gruona obſidere parabat. Præmiſſis tamen oratoribus obtulit Henrico pacem, ſi dederet arcem. Diethmarus orientalis Saxo, militaris rei ſcientiſſimus, ubi vidit adeſſe Regis nuncios, clara voce ducem ſciſcitatur, quanam parte velit caſtra figi legionibus, quas ſe adduxiſſe ſimulabat. Dux rogat, Quot adduxerit? Triginta, inquit, millia in armis habeo. Nuncii dimiſſi regem falſa legionum fama ſic terruerunt, ut in Franciam ſuam redierit. *Crantzius l. 3. Saxon. c. 1.*

Roberto Bruſio Scotorum rege cum XXXM. contra trecenta M. ab Eduardo II. Anglorum rege conducta pugnante, calones atque lixæ audendum aliquid rati, quoniam ferrei thoraces deerant, induſia lintea & candida ſupra veſtimenta induentes, ac mappas haſtis alligantes, ſumptis baculis longis, decumana porta egrediuntur, ac ſeſe paulùm ad montem circumducunt. Mox de monte deſcendentes, terribiliorem hoſtibus aſpectum præbuere. Pars alium adventare exercitum rati, alii Angelos de cœlo Scotis ſubſidio veniſſe arbitrati, terga **B** verterunt, initio fugæ à rege facto, quem primum metus perculit. *H. Boethius l. 14.*

Franciſcus Sforcia in Piceno cùm manum cum Franciſco Nicolai Picinini filio conſereret, atque omnibus ſuis equitum turmis in prælium miſſis, Picinino adhuc aliquot ſupereſſent: veritus, ne iis in medio pugnæ ardore recentibus obrueretur, coegit omnes calones ac lixas; & in perrara ſylva ita condidit, ut inſpici quidem, ſed non ex toto diſcerni poſſent; atque in eorum fronte galeatos ſtatuit, ut ſpeciem magni equitatus præberent. Picininus eas quæ ſupererant turmas in ſubſidiis retinens, prælio ſuperatus ac captus fuit. *Fulgoſ. lib. 7. c. 4.*

Ladiſlaus rex Poloniæ, Cracoviam oppidum obſeſſum ad deditionem compulit, opinione caſtrenſis copiæ deceptum, quum montes farina integi mandaſſet. *Raviſius.*

Benedictus Varadienſis Epiſcopus, cum Tartaris, ſub Bela IV. Ungariæ rege Pannoniam vaſtantibus, ad Agriam, quam incenderant, congreſſus, eos fudit, fugavitque. Illi continuò fugam ſimularunt, & quum equos paucos haberent, humana ſimulachra ex diſtentis ſaccis, impoſita equis, ut equites vide**C**rentur, cum nonnullis ſub colle reliquere. Ipſi in campis Hungaros operiebantur. Pugna conſeritur. Tartari ex compoſito terga dant, verſus collem fugiunt. Prodeunt inde ſocii cum ficto equitatu. Qui fugiebant, quaſi reſumptis animis, in Hungaros vertuntur. Cæſi ſunt Hungari ad internecionem. Epiſcopus cum paucis evaſit. *Bonfin. l. 8. Decad. 2.*

Carolus IV. Imp. contra Philippum ducem Auſtriæ bellum gerens, multitudinem hoſtium veritus, tribus ex Philippi ducibus magna auri vi perſuaſit, ut Philippo renunciarent, Caroli exercitum multò majorem eſſe, & in fuga omnem ſalutem reponendam. Philippus credulus, cum exercitu diſceſſit. Proditores negotio ex ſententia confecto, à Carolo promiſſam accipiunt pecuniam, ſed adulterinam, quæ viceſimam vix partem juſtæ haberet monetæ. Id graviter ferentes, cùm rege expoſtulant. Carolus ira fervens: Abite hinc, perfidi proditores, exclamavit: adulterina fides adulterino auro recompenſatur. *Crantzius l. 9. Saxoniæ, c. 37.*

Quum anno 1532. Habraimus Baſſa Guintium Norici oppidum cuniculis actis jam propè cepiſſet, ſed incredibili oppidanorum virtute Nicolizza præfectus fortiter reſiſteret: Ha**D**braimus data fide evocatum ad ſe in caſtra præfectum rogavit, ut fortunæ periculum facere deſineret, oppidum in ejus poteſtate ſe relicturum, ſi in verba Solymanni juraret, & in ſpeciem præſidii aliquot Turcæ veluti tradito oppido reciperentur. Nicolizza, qui ex octingentis ſtrenuis defenſoribus vix tertiam partem, atque eam confectam vigiliis, & vulneribus debilitatam, ſibi ſupereſſe meminerat, omninò tranſigendum exiſtimavit. Quum ex colloquio nullum timorem præferret, & præſidii vires effusè mentiendo adaugeret Nicolizza, ut etiam callidiſſimo Barbaro imponeret, pollicitus eſt ſe Turcis omnibus, qui illac tranſirent, amicum fore, eiſque quos poſſet commeatus præbiturum liberaliter, & Othomannicum vexillum in ſumma turri præfixurum: id verò quod ad Turcas introducendos pertineret, ut deditì oppidi, acceptique præſidii ſpecies præberetur, ſe præſtare omninò cupere, ſed plurimùm vereri, ne à Germanis ac Hiſpanis tumultu facto diſcerperentur: debere eum ſpontè deditì, & in veterem amicitiam recepti voluntate & fide contentum eſſe. Ad extremum Habraimus virtute atque aſtu Nicolizzæ ſuperatus, id tantùm impetravit, ut Janizerorum decuriam intra portæ limen admitteret. Quibus introductis, & Illyrica lingua ad potandum vinum, **E** cujus ea gens eſt avida, comiter invitatis, & ſibi & Habraimo cumulatiſſimè ſatisfecit, cum neque Germanos neque Hiſpanos in præſidio habuiſſet. *Iovius libr. 30. Hiſtor.*

Quum in Myſiam imperante Sigiſmundo Hungariæ rege Turcæ irrupiſſent: Nicolaus Petri de Macedonia F. Myſiæ præfectus, qui Iſaacum regem Boſniæ ſingulari certamine vicit, cùm Turcis ſe viribus imparem eſſe intelligeret; aggreſtes omnes jumentis inſidere jubet, & cum armis tympana buccinaſque ſumere, & ingenti clamore hoſtes aggreditur. Sequenti nocte Turcas adoritur. Ipſe à fronte cum pauco exercitu, à lateribus ruſticana turba jumentis inſidens. Clamor ingens editur, tympana circumſonant. Turcæ ſe ab innumero Pannonum exercitu circumventos rati, fugiunt. Nicolaus cum agmine quadrato ſe inferens, multum ſanguinis hauſit. Ut ſui ab hoſtibus intempeſta nocte dignoſcerentur, Chriſti ſanctique Michaelis ſymbolum edixerat. Turcæ caſtris pariter ac impedimentis exuti, magna clade affecti ſunt. *Bonfinius Cuſpinianus*, paulò aliter. Per exploratores, inquit, **F** certior factus, Turcas in caſtris dormire, tympana multa equabus, quas vagabundas in campo ceperat, adalligavit, adjunctis ſuis militibus, qui fiſtulis canerent. Teſſeram dedit duobus verbis voce materna: quorum alterum Turcæ intelligebant, alterum ignorabant. Turcæ & nocturno tumultu & teſſeræ ambiguitate territi, quòd magnum adeſſe conjectarent exercitum, in fugam ſoluti ſunt. *Idem.*

AUXILII ADVENTANTIS

ſimulatione.

Cùm Sicionii comparato exercitu agrum Hyperæſienſium in Achaja invaſuri eſſent, intelligerentque Hyperæſienſes, nullo ſe pacto pares illis numero futuros: capras omnes quæ intra fines erant, in unum coegerunt, alligataſque ad cornua faces intempeſta nocte accendere. Hoſtes, ignes eos eſſe ab auxiliaribus ſuſpicati, retrò agmen egere. A Capris itaque mutato veteri nomine Hyperæſia urbs Ægira eſt appellata. **G** Quoque loco ex illis una eximia ſpecie, quæque cæteris dux erat, procubuerat, ibi templum Dianæ Agreſtis erexere, quòd illius propitio numine in mentem ſibi veniſſe interpretati ſunt eo dolo hoſtem eludere. *Pauſan. in Achaicis.*

Cyrus ſuperatus à Medis, confugit ad Piſagardas. Multis Perſis ad hoſtes tranſeuntibus, inquit ad eos: Craſtino die nobis auxilio venient centum millia ab hoſtibus Medorum: Vos igitur ad ſocios excipiendos ſinguli faſcem lignorum ferte. Quibus ferentibus, transfugæ Medis hæc enunciaverunt. Cùm nox appetiſſet, Cyrus imperat, ut quilibet ſuum faſcem incendat. Medi flammam lucentem conſpicati, putantes hoſtium copias adventare, ſe in fugam conjecerunt. *Polyænus l. 7.*

Orontes magno ſociorum numero amiſſo, quos Autophradates inſidiis peremerat, ſubornavit aliquos, qui rumorem ſpargerent ac nunciarent, mercenarios in propinquo eſſe: ſic ut etiam is ſermo ad Autophradatem perferretur. Nocte verò valentiſſimos Barbarorum armavit Græcanicis armis, eoſque prima luce cum reliquis Græcis in acie collocavit, adhibitis interpretibus, qui utramque linguam callerent, ut hi ea quæ præcepta Græcis eſſent, Barbaris enunciarent. Autophrada**H**tes arma Græcanica conſpicatus, exiſtimans, mercenarios venire, de quibus audierat, congredi non auſus, aſſumptis copiis ſe fugæ mandavit. *Idem ibid.*

Atheas rex Scytharum, cùm adverſus ampliorem Triballorum exercitum confligeret, juſſit, à fœminis & pueris, omnique imbelli turba, greges aſinorum ac boum ad poſtremam hoſtium aciem admoveri, & erectas haſtas præferri: famam deinde diffudit, tanquam auxilia ſibi ab ulterioribus Scythis adventarent. Qua aſſeveratione avertit hoſtem. *Front. lib. 2. c. 4. & Polyæn. l. 7.*

Phocenſes in Parnaſſo cum armis incluſi, ſub multam noctem deſcendentes, in hoſtes impetum fecerunt. Illi partim quaſi ſpectrum novum & inuſitatum perhorreſcentes, partim etiam alios eſſe qui aggrederentur exiſtimantes, victoriam hoſtibus dederunt, & ſtrages Theſſalica contigit ad quatuor millium virorum. *Polyæn. l. 6.*

Agis Peloponneſiis adverſus Lacedæmonios bellum gerentibus in Lemno, conſilium dedit, ut unam diem jumenta ſine paſcuis eſſent: Metum autem hoſtibus inferre volens,

A transfugas miſit, qui nunciarent, magnum auxilium Laconibus proxima nocte venturum; & jumentorum ora per integrum diem ligavit. Impetente verò nocte, vincula ſolvit. Itaque jumenta fame confecta, & vinculis ſoluta, cùm nacta fuiſſent herbas & paſcua, exilierunt & infremuerunt, magnumque ſtrepitum moverunt, atque ſimul clamorem exceptum valles referebant. Milites autem juſſit, alium alibi diſperſos, duplices aut triplices ignes facere. Peloponneſii ſtrepitus magnitudine decepti, repentè fugam capeſſerunt. *Polyæn. libro* 1.

Alcibiades navali prælio decertaturus, conſtituit malos quoſdam in promontorio: præcepitque his, quos ibi relinquebat, ut cùm prælium commiſſum ſenſiſſent, panderent vela. Quo facto conſequutus eſt, ut hoſtes aliam claſſem in auxilium ſupervenire ei arbitrati, verterentur. *Front. lib.* 2. *capite* 5.

Argæus rex Macedonum, Taulantiorum Galaurus. Taulantii contra Macedones exercitum ducunt. Argæus (erat enim ei manus perexigua) jubet virgines Macedonum, ſi hoſtes agmen ſuum adducerent, ipſas è monte ſeſe oſtendere. Appro- B pinquantibus igitur hoſtibus, apparuerunt, & è montibus deſcendebant magno numero virgines, thyrſoſque pro haſtis vibrabant, & ſertis faciem obumbrabant. Galauro perterrito receptui ſignum dante, Taulantii abjectis armis terga verterunt. Argæus templum ædificavit Baccho Fallaci, atque ut virgines, quas antea κλωδῶνας Macedones appellabant, deinceps propter virorum imitationem, μιμαλλόνας vocari juſſit. *Polyæn. l.* 4.

Antigonus cum paucioribus militibus caſtrametabatur adverſus hoſtes, qui Eumenem ſequebantur. Cùm autem continuis legationibus inter ſe uterentur, juſſit, militem quendam procurrere anhelantem, pulvere reſperſum, atque nunciare: Socii præſtò ſunt. Antigonus hac audita voce lætabundus exiliit, dimiſſiſque legatis, poſtero die longitudinem aciei duplicatam extendit, & è vallo deduxit. Hoſtes de adventu ſociorum à legatis certiores facti, diſceſſerunt. *Polyæn. lib.* 4.

Iphicrates in Epidauro non multùm ſupra mare aciem inſtruebat. Poſtquam verò ad nemus profundum & umbroſum ventum eſſet, eos, qui intùs laterent, conſurgere juſſit. Hoſtes C magnas inſidias metuentes, reverſi ſunt, & celeri fuga ſe in naves receperunt. *Polyæn. l.* 3.

Tynnichus, cùm Theodoſia Ponti civitas à vicinis tyranni oppugnaretur, ab Heraclea cum navi turbinata, & una triremi veniens, aſſumptis tot militibus, quot poterat, & tribus tubicinibus, ſcaphiſque ex uno ligno conſtantibus, quarum ſingulæ virum unum capere poſſent, per noctem adnavigans, cùm ad civitatem appropinquaſſet, eximens ſcaphas, attribuit ſingulis buccinatorem unum, dato præcepto, ut mediocri intervallo à ſe mutuò diſtantes, poſtquam è triremi ſignum dediſſet, ipſi viciſſim canerent per intervalla temporum. Qui oppugnabant, majorem aliquam claſſem adnavigare arbitrati, relictis excubiis, ſe fugæ tradiderunt. Tynnichus autem adductis navibus, urbem oppugnatione liberavit. *Polyænus l.* 5.

C. Sulpitius Petrejus Coſ. contra Gallos dimicaturus, juſſit muliones clàm in montes proximos cum mulis abire: & inde conſerto jam prælio, velut equis inſidentibus, oſtentare ſe pu- D gnantibus. Quare Galli exiſtimantes adventare auxilia Romanis, ceſſere, jam penè victores. *Front. l.* 2. *c.* 4.

M. Cato, cùm Ambraciam eo tempore, quo ſociæ naves ab Ætolis oppugnabantur, imprudens uno lambo appuliſſet: quanquam nihil ſecum præſidii haberet, cœpit ſignum voce geſtuque dare, quo videretur, ſubſequentes ſuorum naves vocare: eaque aſſeveratione hoſtem terruit, tanquam planè appropinquarent, qui quaſi è proximo citabantur. Ætoli, ne adventu Romanæ claſſis opprimerentur, reliquerunt oppugnationem. *Front. l.* 2. *c.* 7.

Eundem vaſtantem Hiſpaniam, legati Ilergetum, qui ſociorum populus erat, adierunt, oraveruntque auxilia. Ille ne aut abnegato adjutorio ſocios alienaret, aut diducto exercitu vires minueret: tertiam partem militum cibaria parare, & naves aſcendere juſſit: dato præcepto, ut ſimulata tantùm profectione, mox in caſtra redirent. Præcedens interim adventantis auxilii rumor, ut Ilergetum excitavit animos, ita hoſtium conſilia diſcuſſit. *Front. l.* 4. *c.* 7.

Esberius, Danorum regis Valdemari dux, apud Oldam inſulam XL. piraticas Vandalorum naves aggreſſus, & penè circumventus, juſſit, unum è ſuis accepto ſilice malum inſcendere, inque ſummitate excuſſo igne oſtentare flammam. Vandali rati, dari ſignum ſociis navibus, à pugna deſtitere. *Crantzius l.* 5. *Vandaliæ c.* 26. *ex Saxonis l.* 14. E

Canis Scaliger, qui Veronæ atque Tarviſii principatum obtinebat, cùm diſcubiturus eſſet, atroci nuncio perculſus, Patavinos magno exercitu in prima Tarviſinorum tecta ingreſſos eſſe, veſte mutata, in ruſticanum jumentum conſcendit, unoque ſolo ac fideli comite, magna celeritate Tarviſium pervenit. Illic arma induit, atque in bellatore equo antè ſe hoſtibus oſtendit, quàm venturum eum ſuſpicarentur, fretus id fore, quod accidit, ut hoſtes, ipſo conſpecto, veniſſe majorem numerum, aut proditionem duplici fraude molitam arbitrarentur. Itaque terrore perturbatis ordinibus, fuſi ſunt, eorumque duces à Cane capti. *Fulgoſ. l.* 7. *c.* 4.

In prælio, quo Poloni Cruciferos ad Gronevaldam magna affecerunt clade: Boemi & Moravi Mercenarii Polonorum, cum uno vexillo, cujus ſignifer fuit Joannes Zarnonius Boemus, ſive metu, ſive auro Cruciferorum corrupti, ſub initium pugnæ ſeceſſerunt. Conſpicatus autem eos in ſylva Nicolaus Tramba procancellarius, cùm ex acie juſſu regis in caſtra cum cætera imbelli turba reverteretur, accurrit ad eos: & graviter objurgatos, in aciem redire compulit, in ductorem ſuum Zar- F novium culpam omnem referentes: Qui quidem ita deinceps infamis fuit ac deſperatus ob id factum, ut ne uxor quidem conjugali thoro eum dignaretur. Hi ergo revertentes in aciem, ſpeciem novi exercitus hoſtibus præbuere, terrorem addidere. *Cromer. l.* 16.

AUXILIO BELLUARUM.

☞ *Vide Tit. Serpentum aut Canum auxilia adhibere, ſuprà.*

Hiſpani contra Hamilcarem boves vehiculis adjunctos in prima fronte conſtituerunt, vehiculaque, tedæ & ſepi & ſulphuris plena, ſigno pugnæ dato, incenderunt: actis deinde in hoſtem bobus, conſternatam aciem perruperunt. *Frontin. l.* 2. *capite* 4.

Simili dolo Hannibal Caſſinatem ſaltum, imminente Fabio, evaſit.

☞ *Vide Tit. Exercitum per loca infeſta ducere.*

COPIARUM SUARUM VERO, non ſimulato, Robore, Firmitudine, Multitudine terrere. G

Rex Æthiopum Macrobiorum, cùm Cambyſes Perſarum rex exploratores ad eum miſiſſet Æthiopes Ichthyophagos, arcum eis dedit laxatum, & ſi Perſæ illum intendere poſſent, tum contra Æthiopes bellum moverent, monuit: Sin minùs, gratias diis agerent, qui Æthiopes à bello Perſis inferendo arcerent. Arcum illum ſolus Smerdes frater Cambyſis, Perſarum omnium robuſtiſſimus, ad duos digitos trahere potuit. *Herod. l.* 3.

Xerxes rex ſpeculatores Athenienſium comprehenſos per caſtra circumduci juſſit, eoſque mox dimiſit. *Polyænus l.* 7.

P. Scipio, poſtquam Africam attigit, ſpeculatores Hannibalis in caſtris deprehenſos, & ad ſe perductos, nec ſupplicio affecit, nec de conſiliis ac viribus Pœnorum percontatus eſt: ſed circa omnes manipulos ſeſe militaribus operibus exercentes diligentiſſimè deducendos curavit. Interrogatoſque, An ſatis ea conſideraſſent, quæ ſpeculari juſſi erant? prandio dato ipſis, jumentiſque eorum, incolumes dimiſit. Quo tam pleno fiduciæ ſpiritu priùs animos hoſtium, quàm arma contudit. *Val. lib.* 3. *c.* 7. Hoc ipſum ter à Scipione factitatum ſcribit H *Polyænus lib....*

Val. Levinus Coſ. cùm intra caſtra ſua exploratorem hoſtium deprehendiſſet, magnamque copiarum ſuarum fiduciam haberet: circumduci eum juſſit, terrendique hoſtis cauſa, exercitus ſuos viſendos ſpeculatoribus eorum, quoties voluiſſent, patere voluit. *Front. l.* 4. *c.* 7.

Joannes Zimiſces Imperator, claſſe inſigni contra Roxolanos egreſſus, legatos Tauroſcytharum (qui explorandi gratia regi occurrerant) circumductos per exercitum omnem, ut ſingula contemplarentur, redire ad ſuos juſſit. *Cuſpin.*

Tartarorum princeps Amorabecus ad Lazarum Serviæ Deſpotam legatos miſit, tranſitum in Hungariam petentes, minas etiam addens, ni pareret: & ut magis permoveret, mulum milio onuſtum in Deſpotæ conſpectu produci, ſaccoſque exonerari juſſit, quaſi acervi grana facilius, quam Tartarorum illuvies, numerari poſſet. Deſpotes in tertium diem reſponſum diſtulit, eoque tempore gallos, capos, gallinas fame excruciari curavit. Evocatis inde legatis, gallos emitti juſſit. Qui parvo temporis ſpatio univerſum milium abſumpſere.

A Tum ad legatos converſus: Renunciate igitur regi veſtro, inquit, ut milii grana advehat innumera, nobis edaces gallos non defuturos. Et certè eventus ita tulit, ut Tartari multitudine confiſi, à Servis magna ſint ſtrage affecti. *Ægidius Corrozetus de Dictis & factis mem.*

Gulielmus Normanniæ dux, cùm in Britanniam adversùs Heraldum regem trajeciſſet: captis hoſtium exploratoribus, deduci eos per tota caſtra juſſit, & omnia eis oſtendi: deinde cibo recreatos, cum muneribus ad ſuos remitti. Non multò poſt Britannos vicit, Heraldum occidit, & primus Normannorum, illius inſulæ regno potitus eſt. *Fulgoſ. lib.* 3. *c.* 7.

VIGILANTIA.

Eumenes Cardianus cum Argyraſpidibus in Gabenorum regione hybernabat. Quos cùm ſparſim caſtra poſuiſſe intelligeret Antigonus, eos ex improviſo via compendioſa per montes opprimere cogitavit. Eo nuncio territis militibus, cùm non longè abeſſet Antigonus, Eumenes timorem abſterſit, oſtendens inhibiturum ſe hoſtium celeritatem, ut diebus tri- B bus, quàm expectarentur, tardiùs eſſent adfuturi. Circummiſit enim nuncios imperans, ut copiæ ex hybernis & cæteri properè convenirent: ſimulque cum aliis ducibus excurrens, & locum facientibus iter per deſertum ex edito conſpicuum amplexus & dimenſus, crebras pyras per intervalla, ut in caſtris fieri ſolet, præcepit extrui. Quæ ubi adminiſtrata ſunt, ignibus ex regione montoſa Antigoni exercitui apparentibus, dolor Antigonum & mœror invaſit, qui jam dudum exiſtimabat, hoſtes explorato adventu ſuo ſibi occurrere. Ne igitur fatigatus & confectus ex itinere, cum militibus cogeretur alacribus, qui commodè hybernaverant, dimicare: via relicta compendiaria, per vicos duxit & oppida, reficiens per otium exercitum. *Plut. in Eumene, & Polyæn. lib.* 4.

Seleucus contra Demetrium caſtra figebat, qui rebus deſperatis, ſub noctem ſtatuerat fortunam tractare. Demetrii duo milites cùm in primas Seleuci excubias incidiſſent, nocturni prælii apparatum nunciarunt. Metuens Seleucus, ne antè hoſtes præſtò eſſent, quàm ſuis armandi facultas daretur, tubicines claſſicum canere juſſit: Milites verò inter armandum maxima vociferatione exclamare, & unumquemque ignem C præſentibus ſarmentis injicere. Demetrius cùm igni circumfulgere exercitum cerneret, exiſtimans, apparatos ad pugnam eſſe, non auſus eſt eos aggredi. *Polyæn. lib.* 4.

CONFIDENTIA.

☞ *Huc etiam referri poteſt Tit. præcedens, Copiarum ſuarum robore hoſtes terrere, quatenus cum confidentia robur oſtentatur.*

Jones atque Æoles, cùm audiſſent Lydos citra negotium à Perſis victos, legatos Sardis mittunt ad Cyrum, ultrò poſtulantes, ut iiſdem conditionibus eos admitteret, quibus & Crœſo ſubjecti fuerant. Verùm Cyrus ad eorum poſtulata per hujuſmodi ſimilitudinem atque apologum reſpondit: Tibicen quidam, ubi piſces in mari conſpexiſſet, canere tibia incipiebat, ratus nimirum eos ad cantus ſuavitatem in terram progreſſuros: at ſpe ſua fruſtratus, miſſo in mare verriculo, ingentem piſcium vim complexus eſt, atque extraxit. Et cùm palpitantes cerneret in ſicco, dixit ad piſces: Temperate nunc D mihi quæſo à ſaltationibus, quando non libuit, me canente, ſaliendo progredi. Quæ verba Cyrus Jonibus Æolibuſque ideò dixit, quòd Jones, priùs ipſo Cyro per legatos ad amicitiam eos invitanti, flagitantique, ut à Crœſo rebellarent, conſtanter recuſaverant: ac jam demùm rebus non ex ſententia ſuccedentibus, parati eſſent Cyri imperata facere. Hoc reſponſo eos terrere voluit. Jones his auditis moti, ad ſuas quique civitates reverſi, mœnia communiverunt. *Herod. lib.* 1.

In expeditione Scythica, cùm bellum traheretur, tandem Darii exercitus inopia rerum laboravit. Id Reges Scytharum tres numero, Scopaſis, Taxacis, & Indathyrſus, intelligentes, miſerunt ad eum cum muneribus caduceatorem, ave, mure, rana, & quinque ſagittis. Perſæ eum, qui munera ferebat, percontabantur, quid illa ſignificarent? Iſte negare ſibi aliud eſſe mandatum, niſi cùm illa tradidiſſet, celerrimè rediret. Jubere tamen ipſos Perſas, ſi ſolertes forent, interpretari, quid ſibi dona vellent. Darius opinabatur, Scythas ſe ipſos ei donare, & terram atque aquam: quòd mus quidem in terra gignatur, & eodem quo homines victitet: rana autem in aquis naſcatur: avis verò ſit equo aſſimilis: ſagittis dandis, quòd ſeipſos tradere videantur. At Gobryas unus è ſeptem, qui Ma- E gos ſuſtulerunt, hoc dicere dona conjectabat: O Perſæ, niſi ut aves ſubvoletis in cœlum, ut mures ſubeatis terram, ut ranæ inſiliatis in paludes, non remeabitis eò, unde veniſtis, his ſagittis confecti. Et Gobryæ certè interpretationi eventus ipſe reſpondit. Omnium namque rerum inopia laborans Darius, turpi fuga ſibi conſulere fuit coactus: & niſi Jones pontem in Iſtro cuſtodiviſſent, per quem effugeret, actum erat de toto illius exercitu. *Herod. lib.* 4.

Darius adversùs Scythas prælium committebat. Fortè accidit, ut lepus juxta Scythicam phalangem decurreret. Scythæ leporem inſequebantur. Darius verò: Operæ pretium, inquit, eſt Scythas fugere, quibus adeò contemptui ſumus, ut relictis Perſis, leporem perſequantur. Et receptui ſigno dato, de diſceſſu conſilium cepit. *Juſtinus & Polyænus lib.* 7.

Xerxes circa Abydum cum navibus in inſidiis latebat. Frumentariæ naves Græcorum præternavigantes, capiuntur à Barbaris, quibus viſum eſt ſubmergere naves onerarias, unà cum ipſis hominibus. Xerxes contra quærebat, Quò curſum tenerent? Quibus reſpondentibus, In Græciam: Etiam F nos, inquit, eò navigabimus. Itaque frumentum, quod Græcis advehitur, noſtrum eſt: abite igitur. Illi Græcis hanc rem nunciantes, non exiguum eis metum injecerunt. *Polyænus lib.* 7.

Idem Græcos ſpeculatores in caſtris ſuis prehenſos nihil læſit, ſed exercitum ut inſpicerent juſſit, tum miſſos fecit. *Plut. in Apophtheg.*

Dionyſius tyrannus, Himilcone adnavigante, atque oſtium portus Homotylenſium muniente: copiis à Motia deductis, caſtra è regione conſtituit, nautaſque & milites, ut bonum animum gererent, navibuſque ſtationem pararent ſub promontorio, quod portum continebat, hortatus eſt. Locus erat planus, & luto cœnoque plenus, latitudine viginti ſtadiorum. Hoc milites lignis munito, ſubduxerunt octoginta triremes uno die. Himilcon veritus, ne Dionyſius aſſumpta claſſe ſupra promontorium adnavigaret, ut Carthaginenſes in oſtio portus concluſos intùs conficeret, ſpirante Borea, ſecundis ventis diſceſſit. Dionyſius verò & portum & Homotylem & claſſem recuperavit. *Polyæn. lib.* 5. G

Iſcholaus cùm in Drye oppugnaretur à Chabria volente arietes admovere, prior ipſe muri partem dejecit, utrumque ſecum reputans, ut ſui milites fortiùs pugnarent, cùm munitionem mœniorum non haberent: & hoſtes exiſtimarent, ſuas machinas oppugnatorias eſſe contemptui. Certè hoſtes ſpontaneam mœniorum deſtructionem metuentes, ingredi in urbem non audebant. *Polyænus lib.* 2.

Senatus Rom. poſt Cannenſem cladem ſupplementum exercitus in Hiſpaniam mittere auſus, fecit, ne hoſtilium locus caſtrorum, tum maximè Capenam portam, armis Hannibale pulſante, minoris væniret, quàm ſi illum Pœni non obtinerent. *Val. Max. lib.* 3. *c.* 7.

Romani dum ab Hannibale obſiderentur, & ipſi obſiderent Capuam, decreverunt, ne niſi capta ea revocaretur inde exercitus. *Front. lib.* 3. *c.* 18.

C. Jul. Cæſar contra Pompejum in Epiro caſtra poſuerat. Ceperat Pompejus commodum caſtris locum, eique neceſſaria affatim terra marique ſubvehebantur: cùm ille non ageret in affluentibus commeatibus, poſt etiam graviter difficultate neceſſariorum premeretur, ac radicem quandam (Chara dictam) contunderent milites, eaque lacte ſubacta veſcerentur; H panes quoque ex ea confectos provecti ad hoſtium ſtationes intrò miſerunt, projeceruntque cum hiſce verbis, Quouſque ejuſcemodi tellus ferret radices, non deſituros ſe obſidere Pompejum. At Pompejus nec eos panes nec ſermones permiſit in vulgus militum efferri, ne flacceſcerent, immanitatem ac duritiem milites hoſtium quaſi ferarum horrentes. *Plut. in Cæſare, & Sab. lib.* 7. *Enn.* 7.

Tiberius Gracchus, Luſitanis dicentibus in decem annos cibaria ſe habere, & ideò obſidionem non expaveſcere: Undecimo, inquit, anno vos capiam. Qua voce perterriti, quanquam inſtructi commeatibus, ſtatim ſe tradiderunt. *Frontinus lib.* 3. *c.* 5.

A. Torquato Græcam urbem oppugnanti, cùm diceretur juventutem ibi ſtudioſè jaculis & ſagittis exerceri: Pluris eam, inquit, propediem vendam. *Ibid.*

Helvetii Novariæ à Gallis obſeſſi, muris vi tormentorum disjectis, lodices ludibrii cauſa loco valli obtenderunt, iis ſe pilas bombardarum excepturos dictitantes. Quin etiam fruſtra dehor-